



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorum Regvlarivm Infirmis Ministrantivm

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Liber Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37267

VITÆ
 P. CAMILLI
 DE LELLIS
 FVNDATORIS
 RELIGIONIS
 CLERICORVM REGVLARIVM
 INFIRMIS MINISTRANTIVM
 LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

*Quanta fuerit Religionis nostræ in
 mundo necessitas.*

POSTEAQVAM priore Libro
 exposui quemadmodum Pa-
 ter noster CAMILLVS sanctæ
 memoriæ Congregationem
 suam sanctis votis instruxit
 stabiliuitque, nunc, vt agnoscat
 ur quantope-
 re hic mundus, & nominatim gens Chri-
 stiana hoc nouo Instituto opus habuerit, &
 simul

140 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
simul quàm æquum fuerit, vt ipsum sancta
Sedes Apostolica amplecteretur, confirma-
retque; commemorabo breuiter in huius
secundi Libri initio nonnullos è multis defe-
ctus, quos Camillus ipse in Nosocomiis, &
in aliis priuatis ædibus circa moribundos se
vidisse & obseruasse referebat. Atque vt ab
infirmis Nosocomiorum ordiamur, quis est
qui dubitet, quin illi ipsi hac nostra Religio-
ne maximè opus habuerint? quandoquidem
eiusmodi loca sic vulgò homines abhorre-
bant atque abominabantur, vt præ timore
vitæ illic amittendæ, vix vlli Sacerdotes vel
mediocriter eruditi reperirentur, qui inibi
esse aut habitare vellent. Vnde non rarò ob
ministrorum penuriam (pestilentia præser-
tim, & aliorum contagiorum calamitosi-
s temporibus) cogebantur Reuerendissimi
Antistites, & alij Nosocomiorum Præsides
hominibus vt ignaris, proscriptis, aut alicui-
us flagitij reis, iniungendo ipsis in pœnam,
& in peccatorum abolitionem, vt in eiusmodi
locis ministerio infirmorum insisterent.
Ex quo eueniebat, vt cum ibi essent inuicti &
coacti, aut mercede conducti, tamquam
compedibus quibusdam vincti, per exiguum,
aut plane nullum afferrent miseris pauperi-
bus adiumentum: quorum proinde maior
pars absque Confessionis Sacramento, abs-
que

que venerabilis Eucharistiæ subsidio, absque
 sacri Olei ad extremum conflictum vnctio-
 ne, aut certè absque auxiliariis excedentis
 animæ precationibus, quas Commendatio-
 nes animæ vulgò appellant, morerentur.
 Quòd si nunc in Nosocomiis, vbi nostri cu-
 rant, interdum fit, vt quantauis adhibita ope-
 ra ac diligentia, tamen aliqui sine vlllo Sacra-
 mento, propter euentus subitaneos nonnum-
 quam occurrentes, è vita rapiantur: quan-
 tam illo tempore animarum ruinam fuisse
 oportuit, cum in dictis Nosocomiis non mi-
 nistri charitatis rem gererent, sed homines
 mercenarij & coacti, & de rebus suis sollici-
 ti? Hoc quidem satis constat, miseros mori-
 bundos, & in extremo vitæ limine positos,
 interdum duobus, interdum tribus ipsi die-
 bus dolendo, lugendo, plangendo, cum
 morte colluctatos esse, cum nemo interim
 aut pedem moueret ad succurrendum, aut os
 aperiret ad consolandum & corroboran-
 dum. Nihil loquor de incuria, & vecordi neg-
 ligentia in ipsa sanctissimorum Sacramento-
 rum administratione; nihil dico de graui ir-
 reuerentia, quæ in iisdem seruandis & tra-
 ctandis Sacramentis admittebatur: quando
 res est manifestissima, tremendum illud &
 sacratissimum Domini Corpus per Xenodo-
 chia cum vna dumtaxat, aut duabus tantùm
 par-

142 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
paruulis candelis solitum deportari. Id verò
prætereà fieri consuetum scimus, vt quam-
primùm infirmi in Nosocomium essent in-
gressi, quamuis toti frigore tremebundi, aut
præ æstu febris æstuantis essent inflammati,
vt statim inquam absque vlla animi præpa-
ratione cogerentur peccata confiteri: vnde
consequatur, vt maior eorum pars ab im-
paratis omitteretur, atque ita in miserabili
statu defungerentur. Sæpissimè item cum
manè venerabilem Hostiam sumpsissent, &
buccas febris ardentes haberent, si Hostia sa-
cratissima palato agglutinaretur, nec demitti
deglutirive possent, ipsi suis manibus disfun-
gebant, deinde digitos toralibus aut stragulis,
ita vt pars Hostiæ sacrosanctæ illis adhære-
sceret, expurgabant. Deus bone! quoties
rursus ex eadem penuria hominum spiritua-
lium, qui ipsis adessent, dum sacrum partici-
parent Mysterium, quoties, inquam, illud ip-
sum horrendum ac venerandum Mysterium
à quibusdam simplicibus rusticanis, aut ab
aliis rudibus & crasso ingenio hominibus vel
in terram desputum, vel contra parietes eli-
sum est? Semel ipso præsentente Camillo acci-
dit, vt infirmus quidam in Xenodochio, sum-
pta sacra Hostia, ingenti subitò tussi corre-
ptus eam ex ore reiecerit, sed Camillus, qui
opportunè ei vicinus aderat, & qui ad hanc
Com-

Communionis distributionem adiutor erat, obiecta celeriter manu modestè Hostiam dextrâ excepit, ita vt nihil in terram decidit: quam deinde asportatam in conuenienti loco reposuit. Sed ad ea transeamus, quæ ad corporis salutem spectant. Quis enarrare sufficiat, ex quot & quantis incommodis continuo nostrorum vsu, & in Nosocomijs habitatione, infirmi liberati sint? Quoties enim absque illis, deficiente qui illos adiuuaret ac cibum ministraret, dies integros impasti ac ieiuni relictæ sunt? Quoties miseri pauperes, nemine ad sternendos reconcinnandôsve lectos comparente, in vermibus & fordibus contabuerunt? Quot languidi & macilenti, aliqua interdum ex necessitate surgentes è lecto, vel in terram ceciderunt mortui, vel grauiter surrexere vulnerati? Quot alij brachijs ministrorum excepti modica charitate prædiorum, tam inhumaniter ab illis tractati & vexati sunt, vt in iisdem brachijs animam tandem reliquerint? Quibus verò, & quantis despectibus & contumeliis, & verbo & facto, à malè moratis istis hominibus, qui pauperum exagitationem pro iocis & voluptatibus habebant, miserandum in modum affecti sunt? Nimirum perinde ac si Christus in Euangelio non dixisset: *Quod fecistis vni ex his fratribus meis minimis,*

mis,

mis, mihi fecistis. Atque utinam sæpenumero à verbis tristibus ac luctuosis ad peiora facta transitum non esset, ad colaphos, ad pugnos, ad protrusiones, pulsando illos absque causa & occasione, atque conculcando. Quàm multi ex iisdem infirmis acerba sint deficientes, vel paucillum aquæ ad humectandas refrigerandasque buccas obtinere non potuerunt? Vnde non pauci illorum (quod nobis satis compertum est) tamquam rabiosi præ graui ardore ad bibendam vinam, ad potandum sanguinem, ad hauriendam lampadum aquam & oleum adacti sunt. Ita in Mediolanensi Nosocomio vnus inuentus est, qui ex sitis vehementia ebiberit vnica nocte quinque syrupos, & binas medicinas, nec mortuus sit. Nec est sanè dubium, quin ista sitis acerbitas vna sit ex acerbissimis infirmorum pœnis, & quidem eiusmodi, vt cum aliquo inferni tormento queat comparari: quandoquidem de diuite Epulone legatur, non videri ex vlllo alio maiores tolerasse cruciatus, quàm ex lingua & siti. Enimvero quod iam dicturus sum, quis vnquam credat? Quot pauperes moribundi, sed nondum mortui, ab illis iuuenibus mercenariis præcipiti festinatione è lectis abrepti, atque eo modo semiuiui inter corpora mortua deportati sunt, vt sepelirentur viui? Neque ego

hinc rem nouam aut à me confictam narro;
 scit aeterna Veritas, quòd non mentior. Nam
 ipsemet Camillus in vno Xenodochio vrbis
 Romæ (cuius nomini & honori parco) cùm
 semel ingressus esset in locum mortuis depu-
 ratum, inuenit inter mortuorum corpora ho-
 minem viuum, qui adhuc cùm morte con-
 flictabatur, & tres ipsos dies superfuit, qui de-
 latus interim eò loci fuerat tamquam mor-
 tuus. Quem Camillus adhuc viuum esse
 coniecit ex sanguine emanante ab vna plaga,
 quam in fronte acceperat, dum in terram
 pro mortuo præcipitaretur. In eodem Xe-
 nodochio post lectas, vt assolet, animæ
 Commendationes apud quemdam mori-
 bundum natione Gallum, quem apoplexia
 prostrauerat, arbitratus Presbyter Xenodo-
 chij illum esse extinctum, aqua lustrali de
 more aspersit, & recitatis precationibus so-
 litis, illi oculos linteo operuit, & abiit. Aliquot
 horas ita relictus est, donec duo è ministris
 accesserunt cùm sandapila & funali vt eum
 efferrent. Sed dum amoto linteo faciem de-
 tegunt, ecce hominem viuum videntemque
 deprehendunt, immò & loquentem: verum
 idem infirmus cernens coram se sandapilam,
 adeò est aspectu insolenti exterefactus, vt ex
 timore in amentiam inciderit, & in ea cùm
 alios quinque dies exegisset, neque vquam
 cibum

cibum capere, neque potum haurire voluisset, demum extinctus est. In alio similiter Romæ Xenodochio non admodum dissimile exemplum occurrit. Nam cum infirmo cuidam lethalis obuenisset infirmitas, fuit ab ijsdem famulis inter mortuos numeratus, & tamquam talis ad regionem mortuorum retro delatus: vbi cum horas quatuor circiter in terram prostratus iacuisset, tandem ad se redijt, conspicatusque inter octo se iacere cadavera, ferè factus est ex viuo mortuus, tantus illum incessit timor. Verùm, resumpsit sensim animo, erexit se in pedes, & nudus, vti erat, in Xenodochium ad viuos reuersus est: quos vicissim longè maximus inuasit stupor, videntes nimirum stare coram se viuum, quem paulò antè delatum scirent ad cubiculum defunctorum tamquam mortuum, breuì post in Campo sancto humandum. Hic autem multos deinceps annos vixit, & ego ipse cum eo locutus sum. Quòd si talia facta, minimè Christianis conuenientia, propter defectum experientiæ, & rarò conspectos homines moribundos & vitâ excedentes, in ipsa vrbe Roma mundi capite, speculo & exemplo omnis probitatis, charitatis, sanctimonix, accidunt; quid de alijs censendum vrbibus intra & extra Italiam, vbi præstò non sunt neque summi Pontificis vigiles oculi, neque

neque tot illustrium Ecclesiæ personarum
 insopita lumina? Iam verò vt alterius gene-
 ris grauissima contemplemur incommoda,
 quantus infidelium numerus ex omni natio-
 ne in ipsis Nosocomijs, nullo ipsis verbum
 faciente neque de conuersione, neque de Ba-
 ptismo, non secus ac bestix moriuntur? Ni-
 mis profectò norunt nostri, quàm multi ex
 illis Dei gratia sint ipsorum opera ad fidem
 conuersi, & Baptismo salutis abluti. Hinc so-
 lebat Pater noster Camillus dicere: *Patres &
 Fratres mei, quas pulchriores Indias, quam me-
 liorem Iaponiam potest Congregatio nostra ad
 conuertendas in Deum animas optare ac desi-
 derare, quàm sancta hæc Nosocomiorum loca?*
 Dici certè non potest, quantam vim ha-
 beant, præsertim in supremo vitæ termino,
 & quantos in animis aculeos defigant vltima
 piorum virorum infirmis adstantium mo-
 nita. Vnicum hîc solummodò causa exem-
 pli referre in litteras volo. In Xenodochio
 Annuntiæ Neapoli laborauerat vnus è no-
 stris dies ampliùs quadraginta, vt manci-
 pium quoddam Turcicum ibi infirmum ad
 veram Religionem ab impio Mahometis
 cultu conuerteret: sed frustrà operam &
 oleum, vt aiunt, hætenus consumpserat, cum
 ille semper diceret ac responderet, se Turcam
 natum esse, se Turcam mori velle; donec tan-
 dem

dem ad extremum redactus vitæ articulum,
 & Patre in suscepto officio charitatis perfe-
 uerante, ex improviso (cùm eius esset salus ab
 omnibus desperata) vno misericordis Dei
 attractu commutatus, incepit expostulare
 Baptismum. Quo confestim ab eodem Patre
 collato, vix fuit aqua ab eius fronte absterfa,
 quin ipse plaudens & exultans, & sanctissima
 nomina IESVS & MARIA, quæ priùs audire
 sustinere non poterat, deuotè pronuntians, ad
 Dominum felicissimè excessit. Iam si de illis
 sermo instituendus sit, qui in priuatis ciuium
 ædibus vitam amittunt, quæ vniquam lingua
 satis exprimere poterit, quid illi vtilitatis ac-
 que emolumenti à Congregatione nostra ac-
 ceperint? Quàm multi enim illorum à no-
 stris reperti sunt, qui iacente ad latus concu-
 bina in mortem ibant! Quàm multi qui ani-
 mam cùm emitterent, vindictæ cupidinem
 non dimittebant! dimittebant, dico, imò
 & liberis suis maledictionem pro hereditate
 relinquebant, si se quidem inultos relinque-
 rent. Quàm multi (quorum longè magis
 intererat, in vltimo illo transitu sua dolere &
 plangere peccata præterita) totum dolorem
 suum ad rem familiarem, ad vxorem, ad li-
 beros, quæ tamen debebant & nolebant re-
 linquere, transferebant! Quàm multi victi
 inuocationis sanctissimi nominis IESVS &

M A R I A,

MARIÆ, nomen alicuius feminæ, effli-
ctim & pernicialiter amata, compellabant!
Quàm multi, hærente in extremis labris
morte, signa manibus edebant hominum
pecunias computantium, nihil aliud loquen-
tes, nihil aliud imaginantes, quàm contra-
ctus & mercimonia! Quàm multi, & specia-
tim è nobilibus atque illustribus personis, sine
fructu Sacramentorum in viam mortis abie-
runt! Et hoc ea de causa, quòd non essent
qui vel monere ipsos de necessarijs, vel men-
tionem vicinæ mortis facere confidenter au-
derent. Quàm multi in ipso vitæ excessu, sed
tamen ante excessum, heredes suos viderunt
de ventura hereditate, quasi ea iam aduenis-
set, decertantes, atque inuicem altercantes,
domicilia diidentes, cistas occludentes, rei
familiaris inuentarium conficientes, supelle-
ctilem argentariam abscondentes, totam do-
mum sursum deorsum percurrentes, denique
ipsa stragula à dorso suo abstrahentes! Quis
verò iam queat credere, à quot rabiosis cani-
bus tali in tempore cor miseri hominis in
incerta demigrantis discerpatur? Qui supra
mortis tristitiam, & æternæ ac irreuocabilis
sententiæ metum, hîc oculis suis cernit suos-
met filios aut seruos de se expoliando con-
tendentes, illic vxorem in vnum angulum
detrusam, viduitatis mala ante viduitatem

K 3

ipsam

150 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ipsam deplorantem. Quid faciat tali in statu
homo etiam sapiens, si nullus ei adsit vir spi-
ritualis qui ipsum consoletur, qui ab omni-
bus derelictum non derelinquat, sed fideli ad
finem usque societate conglutinatus adha-
rescat? Romæ vir quidam nobilis in simili-
bus se videns deprehensum angustijs, sibi ipse
dicebat: *Ah Muti, Muti* (vocabatur enim
Mutius) *quò iam redactus es!* De innumeris
verò superstitionibus, quas feminae super-
moribundos vulgò usurpant, præsertim dum
longæ sunt & laboriosæ mortis moræ, quæ
neesse habeo dicere? Nam satis omnibus
constat, multas in hoc opus usurpare bilas-
ces, iuga bouum, terminos agrorum, sterco-
felis, excrementa gallinæ, hisque omnibus
multa verba adiungere, quæ ego, ne femi-
nis illis vanis occasionem eas addiscendi
præbeam, hîc non refero. Sed quid mirum,
si malignus spiritus per ista spurca & corpo-
rea mundum decipiat, cum etiam per ipsas
res sanctas & spirituales fallere & circumve-
nire incautos studeat? nempe inducendo
ad has superstitiones coronis quoque præce-
torijs, & sacris Reliquijs, & vestimentis San-
ctorum, & mille alijs pietatis ac deuotionis
instrumentis abutantur; perinde ac si viri
Sancti, & à Deo benedicti, qui cum vitæ
inter nos agerent, tanta fecere miracula, &

vifum

visum cæcis, surdis auditum, sermonem mutis, vitam mortuis reddiderint, perinde, inquam, ac si illi in cælo iam inter Angelos constituti oblectarentur suis ipsorum reliquijs macerare viuos. Aliud prætereà, quod obseruauimus, grauissimum malum istud est, quòd multi extremis illis vitæ suæ iamiam abrumpendæ horis, sic à pessimo nostri generis hoste deprehendantur excæcati, vt absque vlla imminentis lethi consideratione, suis fatiari voluptatibus, & omnes explere, quamuis effrenatas cupiditates, priusquam mundo excedant, obstinatè velint. Hinc Romæ homo quidam (ne dicam bestia rationis expers) licet haud multis à morte passibus distans, omnibus è cubiculo exire iussis, coniugem suam sibi in lecto accubare, quamuis multum reluctansem, pertinaciter iussit, neque contra damnandas delicias vllum precibus vxoris locum reliquit, à quibus tamen delicijs breuè post ad mortem transijt. Alius quidam maritus zelotypia tortus, tametsi in extrema ferè fugientis vitæ linea, tamen vxorem semper sibi adesse, atque in ipso etiam lecto accubare, sibi que latus cingere, præ metu ne ab aliquo amatore surriperetur, pertinaciter imperauit. Verùm ad alia transeamus inconuenientia. Innumeri erant, qui in suis ipsorum cubilibus violenta auferebantur

morte, hoc est, à parentibus ipsis cibo potu-
 que immodico suffocati, nominatim cum
 pauperes moribundi angina aut catarrho
 premerentur, propterea quòd tum tempo-
 ris vel minima res ad eos strangulandos, non
 sine manifesto animarum periculo, sufficiat.
 Quæ autem potest maior inueniri miseria,
 in mò laniena in mundo, quàm ista, nempe
 patre, more quodam simiarum nimio, amos
 suffocari filium, à filio patrem, ab vxore ma-
 ritum, fratrem denique à fratre immodica
 mentis teneritudine & commiseratione in-
 gulari? Interea complures simplices mulier-
 culæ, nolentes hæc intelligere, semper quid-
 piam in ora infirmorum ingerunt, neque
 considerant se auxiliij loco necem importare,
 & falso nomine pietatis suorum se libero-
 rum carnifices euadere. Vnam eiusmodi ob-
 stinatam mulierculam aliquando Genuæ of-
 fendi, quæ arbitrata se grande beneficium
 filio suo morienti collaturam, digitum in os
 immisit vt catarrhum extraheret, & subito
 catarrhi vice extraxit animam. Cui vitio &
 vnum alterum connexum est (quod faxit
 Deus quàm citissimè ex omni mundo pro-
 fus exterminetur!) est quæ eiusmodi: Mul-
 tæ feminae, iam antè dictis similes, mor-
 bundis, qui spirare necdum deserint, eos iam
 defunctos esse existimantes, ora & oculos
 occle-

occludere festinant, ne ipsi post mortem deformes appareant: ita vt illorum multi hoc pacto moriantur suffocati, & non nemo etiam tumuletur viuus. Quod sanè inter Christianos nec leuis nec mediocris est delicti. Cuius causa, meo quidem iudicio, non est alia, quàm quòd vltus & experientia, quæ ex frequenti conspectu morientium acquiritur, eos deficiat. Verùm ne cui fortè videar vana enarrare somnia, exemplum ego vnum dumtaxat in medio ponam, quod ætate nostra Romæ accidit. Fuit ibi quidam, Antonius Maria Grillus nomine, patriâ Parmensis, qui mortiferis quibusdam accessionibus, quas *συμπύματα* Græci appellant, erat obnoxius. Illi in ædibus suis aliquanto tempore malè habenti, tandem talis quidam morbi casus siue accessio superuenit: igitur omnes illum verè mortuum esse rati, extulerunt vesperi in Ædem S. Mariæ de Monticelli ad sepulturam, & totam noctem ibi sepultus fuit: sed manè ad se reuersus, cum existimaret se domi suæ in lecto decumbere incepit vocare Catharinam vxorem suam vt fenestram aperiret, & istum tetrum foetorem, quem sentiebat, foràs emitteret: Catharina non respondebat, nec enim ibi erat. Putans ergo eam dormire, manu infistit palpare vt excitet, sed palpando apprehendit pedem

K s non

non vxoris, sed mulieris vnius mortuę in proximo loco sepultę; & nihil aliud quàm vxoris suę pedem esse credens, tamdiu ad eam expergefaciendam traxit, quoad pes tandem à tibia diuulsus in manu eius hæsit: quo factodemum agnouit se sepultum esse. Tum verò altiùs & fortiùs clamare ac vociferari, sed nullo audiente: placuit autem Deo, vt manẽ insequẽti eodẽ deferretur sepeliendus quidam alius bubulcus. Hac igitur occasione idem pauper homo viuus inter mortuos repertus est, sed præ ingenti cadauerum putredine ac fœtore iam propè & ipse mortuus. Cuius rei admirabilitas effecit, vt & ipse Clemens VIII. Pontifex videre hominem voluerit, & totam facti rationẽ, vt est à me proximè denarrata, ab ipsomet discere. Quam ego quoque omnem ex eius ore accepi. Postremò neque lingua vlla neque calamus explicare sufficienter omnia incommoda & pericula valeat, quibus obnoxij fuerint & nunc sint miseri moribundi. A quibus omnibus malis dicebat Camillus subueniente Dei gratia futurum, vt per nostram Religionem liberarentur, quandoquidem Deo placuerit efficere, vt ipsa multiplicaretur, & ramos suos per orbem longè latequẽ protenderet.

CAPVT II.

Camillus à Clemente VIII. Pontifice nouam obtinet Religionis Confirmationem, & nonnulla quoque victus subsidia.

FACTA Professione cœpit Camillus cum nouo feruore in opus incûbere, & magis magisque sancta erga infirmos charitate succendi. Dicebat enim, se nunc esse obligatû ad ea ex voto facienda, quæ prius ex sola faciebat charitate. Postquam autem Innocentio IX. Pontifici (qui obiit trigesima Decembris anni M. D. XCI.) successit Clemens VIII. creatus Pontifex trigesimâ Ianuarij anno M. D. XCII. quem sciebat Camillus, dum esset Cardinalis, contrariæ fuisse opinionis in consultatione de alliganda certis votis Congregatione, nunc ut certior fieret quonam animo erga illam Pontificatus sui tempore affectus esset, ad ipsius exosculandos pedes profectus, illi supplicauit, ut dignaretur Congregationem eiusque priuilegia confirmare. Cui libenter ac promptè assensus Pontifex, Breui Apostolico, dato ad vigesimam Martij eiusdem anni, non modò approbâuit, & denuò confirmauit omnia quæ Gregorius XIV. Antecessor

for

156 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
for suus fecerat, sed etiam in illo ipso Breui
facultatem concessit recipiendi Nouitios
duorum annorum spatio, absque vlllo cuius-
quam Capituli interuentu, quemadmodum
in Bulla Sixti V. fuerat constitutum. Quo
exacto spatio, idem Pontifex vno altero Bre-
ui Apostolico, dato ad trigessimam primam
Martij anno M. D. XCIV. dictam facultatem
in tempus perpetuum prorogauit. Quod
non mediocre fuit in eius Pontificatu bene-
ficio: quandoquidem cunctis aliis Religio-
nibus, exceptis perpaucis, id esset prohibi-
tum. Ita ille ipse Pontifex, qui Cardinalatus
sui tempore non videbatur ad Congregatio-
nis vinculum, & votorum obligationem ali-
quatenus propendere, postquam in thronum
ascendit Pontificium, rursus obligauit con-
firmavitque, immò & multis priuilegijs at-
que fauoribus adornauit. Ita & Cardinali
Cusano euenisse vidimus, qui solitus in prin-
cipio exsurgens Congregationis, eam So-
cietatem nugatoriam appellare, vbi poste-
rà factam esse Religionem conspexit, fa-
tis admirari excelsa & stupenda Dei Optimi
Maximi opera non poterat. Vnde semper
deinceps Patri nostro fuit addictissimus.
Nec aliter apud beatum Philippum Ne-
rium res habuit: qui cum, edita à nostris
Professione, Camillum venisset domi no-
stræ

stræ salutatum (dies erat Vigilæ S. Mariæ
 Magdalenæ) post mutuos ardentissimæ cha-
 ritaris amplexus, *Pater*, inquit, *huius operis*
successus verè mihi apparet res prodigiosa, ne-
que humano modo atque sensu effecta. Cardi-
 nalis verò S. Seuerinæ nonne eodem modo &
 aduersus nos & nobiscum fuit? Qui tametsi
 in prima Religionis confirmatione opinio-
 nem visus sit tenere ac tueri nobis cōtrariam,
 nihilominus, animaduerso felici nostrorum
 conatum exitu, tam studiosus nostræ Con-
 gregationis fuit, vt in extremo huius vitæ
 certamine semper quatuor è nostris circa
 lectum suum habuerit, atq; inter nostrorum
 manus supremum emittere halitum volue-
 rit. Verùm vt ad Camilli acta reuertamur,
 post obtentum Breue illud Apostolicum
 confirmationis nostræ Religionis, Neapolim
 profectus est: vbi ad diem tertiam Maij an-
 no M. D. XCII. in solemnitate sanctæ Crucis
 publicam ac solemnem excepit Professio-
 nem à suis aliis antiquis subditis, qui in illo
 erant domicilio, cùm fieret Romæ prima
 Professio. Deinde vnà cum Curtio Lodi,
 vno è suprà dictis Professis, ad sanctam Æ-
 dem Lauretanam se contulit, vt ibi beatif-
 simæ Virgini, ob expertum ipsius fauorem in
 obtinenda Professione, gratias quantas pos-
 set maximas ageret. Quibus ritè actis, Ro-
 mam

158 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
mam tandem rediit. Vbi cùm domum re-
perisset grauiſſimo ære alieno (quod ad no-
uem aureorum millia ascendebat) obſtri-
ctam eſſe, haud parum animo angebatur,
ſpeciatiſſimè quòd cerneret quotidie Societa-
tem Confalone perurgere ſolutionem. Quæ
Societas cùm patrona eſſet ædium aliquot
contiguarum S. Magdalenæ, vbi Congrega-
tionis noſtræ ſedes erat, nec quidquam in
debiti ſolutionem elapſis iam aliquot annis
recepiffet, hinc decimâ Iulij (quòd & ipſa
fortaſſis maiori premeretur egeſtate) venit
cum miniſtris Vicarij ad pignus capiendum,
ſequeſtrando ſpeciatiſſimè domum quamdam
à Firmo Calui nuper comparatam & Reli-
gioni traditam. Quibus in anguſtiis nihil
aliud Camillo occurrebat remedij, quàm vt
Dominum Deum in tanta ac tam præſenti
neceſſitate in ſubſidium votis omnibus in-
uocaret. Quo facto illi in mentem venit ad-
ire Pontificem, atque ad eius pedes ſupplici-
ter ſtratam cõfidenter ſignificare, quo in lo-
co & quàm miſero in ſtatu res eſſent, conue-
niendo intereà cum Confalone, quàm opti-
mis poſſet conditionibus, de iſtarum ædium
coëmptione. Super qua dum ſtipulationis
verba & ſcripturæ concipiuntur, vnus ex illis
dominis, cognita Religionis noſtræ in eo ar-
ticulo magna paupertate, velut diſſiſus fe

ym.

vniquam visurum tempus, quo reliquum de-
 biti solueretur (quod erat circiter quatuor
 millium aureorum) ait Camillo, *Pater mi, id
 quod restat solutionis, ecquando erit?* nempe
 velut insinuans, prius fore vt omnes morte
 soluerentur, quam æris alieni residuum dis-
 solueretur. Camillus autē tantam illius diffi-
 dentiam admiratus respondit: *An ergo for-
 tē non potest Deus saccos denariorum plenos
 cras ad hanc portam mittere?* Quæ verba
 quasi risu excipientes iidem Domini, *Enim-
 uerò*, inquit, *non est nunc amplius id tem-
 pus quo fiant miracula.* Sed medius tamen
 annus non præterit, quin de diuina prou-
 dentia exemplo instructi melius senserint,
 vt proximo Capite ostendemus. Neque omi-
 fit interea Camillus in Tusculanum ad Pon-
 tificem accedere (dies erat S. Francisco facer)
 vbi post pedum oscula, sic est illum affatus:
*Beatissime Pater. paupercula nostra Religio, qua
 dies noctesq; in pauperum seruitio continenter
 occupatur, tanto iam ære alieno oppressa est, vt
 quid deinceps faciamus non occurrat, quan-
 doquidem pro censu & locatione soluere de-
 beat quotannis domus nostra Romana aureos
 trecentos septuaginta. Quare Beatitudinem
 vestram deprecamur, vt hoc tenue ac debile
 principium sua benignitate adiuet. Cui Pon-
 tifex miseratione motus ita tum respondit:*
 Quam-

Quamuis Apostolicum ærarium valde exhaustū esset (propterea, quod ex illo in menses singulos multa aureorum millia ad Imperatoris subsidium educantur) se tamen cū Romam reuersus fuerit, eius memorem futurum. Quod & fecit. Nam statim e tradi iussit dictam summam aureorum trecentorum septuaginta, promisitque insuper tantumdem se mensibus singulis in debiti solutionem deinceps largiturum.

CAPVT III.

Camillus Dei auxilium erga Religiosos præuidet. Cardinalis Mondouus moritur.

Idem diebus, quibus istæ suppetiæ à Pontifice suppeditatæ sunt, Camillus, conuocatis in templum suis omnibus Religiosis, ibi coram sanctissimo Sacramento (quod antea numquam ab illo factum fuerat) illum frequenti spiritu eorum precibus commendauit, quod ipsum sibi ab eodem Pontifice innotuitum esse dicebat. Deinde, forma quadam loquendi vtens numquam sibi antehac vilitata, tam sublimiter de diuina providentia sermocinatus est, vt satis appareret, cælestis alicuius promissi eum esse factum certiore

præsertim cum hæc inter alia diceret: *Patres
 & Fratres mei, nihil necesse habemus de diuina
 prouidentia vel minimum dubitare*; quippe
 qui ad vite perfectionem tendimus, & paupe-
 rum subsidiis incubamus. Quod si verè & ex
 animo fecerimus, vobis ego polliceor (de quo
 nec minima suboriri debet dubitatio) non mul-
 tum ex hinc temporis abituram, & fortassis nec
 mensem vnum, quin visuri simus Dei auxi-
 lium, & Religionem omni are alieno solutam
 ac liberam. Recordamini verborum illorum, quæ
 benignissimus iste Dominus (& sanctissimum
 ostendebat Sacramentum) aliquando dixit
 sanctæ virgini Catharinæ Senensi: *Catharina
 cogita de me, & ego cogitabo de te. ita vt pro
 certo tenere debeamus, si de ipso suisq; pauperi-
 bus cogitemus, ipsum quoque de nobis cogita-
 turum, neque permissurum, vt nobis istorum
 quidquam desit temporalium, quorum tantam
 vbertatem ac copiam & Turcis & Iudæis, &
 ceteris Fidei suæ inimicis impertit.* Post quæ
 finem sermoni imposuit. Diuinæ autem
 Maiestati placuit hac eum spe atque promif-
 sione consolari, & veridicum demonstrare:
 quandoquidem vix vnus mensis excurrebat,
 eum Illustrissimus Dominus Cardinalis
 Mondouus bonæ memoriæ hanc Religio-
 nem heredem reliquit quindecim millium
 circiter aureorum, nobis omnibus admo-

L dum

162 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
dum attonitis, qui Camillum paullò ante
tam confidenter de diuina locutum prou-
dentia memineramus, ac tum præsertim,
cùm idem Cardinalis optima vteretur vale-
tudine, nec vllum infirmitatis cuiuscumque
in eo pareret vestigium. Verùm paucis post
diebus, cùm leui quadam affectus esset infir-
mitate, & à Camillo sæpiusculè visitaretur,
sermone quidem de quibuslibet rebus alijs
inter eos varij interuenere, sed de hac re sola
nullus; nisi quòd confecto iam & obsignato
testamento, cùm vicinam præsentiret mor-
tem, Camilli manum, qui ei proximè adhae-
bat, apprehensam amoris affectu constrin-
gens, & oculis longè amantioribus solito ip-
sum intuens, hoc visus sit voluisse dicere: *Pa-
ter, ego vos amaui in vita, & vos post mortem
pro me orare memineritis.* Camillus porro
nihil vltèrius animo prospectans, totus erat
in assiduis precationibus pro felici illius ani-
mæ exitu fundendis: qua iam ad Dominum
transgressa, in planctus prorumpens suspirijs
intercisos, & mortuam Cardinalis faciem
strictè complexam tenens, nihil aliud quàm
lacrymis eam totam perfundebat. In quibus
adhuc hærentem doloribus ecce admonent
quidam ex aulæ Cardinalis Nobilibus, ut
modum lacrymis & doloribus finem impe-
nat, & corporis sepulturæ animum intendat.
hanc

hanc enim curam tamquam defuncti heredem eum contingere. Quod cum etiam à Pontio Seua Notario certius accepisset, qui confestim aperuit, legitque testamentum, tantò magis increuit dolor atque planctus, quantò se amiciosem atque benigniorem amisisse patrem ac dominum sentiebat. Quia verò in eiusdem Cardinalis testamento continebatur, velle ipsum efferri absque vlla sepulturæ pompa, Camillus è vestigio ad Pontificem nonnullos allegauit, qui dispensationem & facultatem deposcerent talem illi honorem exhibendi, qualem suæ personæ dignitas postularet. Qua facile impetrata, elatus est ad sepulturam cum solemnissimo exequiarum apparatu: in quibus ipsemet Camillus vnà cum multis suis Religiosis feretrum sequebatur vsque ad templum sancti Clementis, vbi & sepultus est. Excessit autem ad beatiorem vitam die decima septima Decembris anni M. D. XCII. ex suprâ dicta hereditate, præter multa ædificia Romæ in suo fundo constructa, etiã omne æs alienum dissoluit, & nominatim illud quod Societati Confalone erat obstrictus. Cuius Societatis viri mox vt nuntium acceperunt de ista noua hereditate, ipsi eodem vespere quo Cardinalis efferrebat, dum Camillus post feretrum procederet, in ipso transitu Pontis

S. Mariæ, ei iusserunt offerri per suos Mandatarios, quos vocant, Bullam vnâ inauratam participationis omnium suorum priuilegiolorum, cupientes nimirum ei in mentem reuocare, iam tempus illud aduenisse quo debitum ipsis exolueret. Qua Bulla statim excepta, & cum amoris significatione exosculata, subiecit Camillus: *Laus & gratiarum actio diuina sit Maieitati, quòd facierum miraculorum tempus iam aduenit, numquam ab istis viris creditum, numquam in imaginationem admissum*: nempe inuenit, quid inter ipsos in præcedenti Capitulo cogitatum & transactum fuisset. A morte porò Cardinalis Mondoui cognosceps Camillus suam Religionem adhuc nouellam esse plantam, nec satis per sese absq; alicuius illustri personæ sustentaculo posse consistere; ac proinde aliquem requirendum, qui valeat non suis tantum copiis & facultatibus subleuare, sed etiam auctoritate tueri ac defendere; è bono Religionis esse iudicauit (tameñ in Bulla foundationis aliter fuisset dispositum) aliquem alium postulare Protectorem: & in locum Cardinalis Mondoui accepit Cardinalem Saluiatum, antiquum patronum suum ac dominum.

CAPVT IV.

*Camillus it fundatum domicilia Mediola-
ni & Genue. Diuinam punitionem in-
terminatur certis nautis, quæ ipsos est
consecuta.*

AD hoc vsque tempus non erat alibi no-
stra Religio, quàm Romæ & Neapoli;
sed propter multorum ad eam adspiran-
tium, atque in dies se offerentium copiam,
existimauit Camillus diuinæ esse voluntatis,
vt eam per quasdam alias Italiæ ciuitates iret
dilatatum: proposito sibi semper scopo, exer-
cendæ in proximos, quos maior tenet neces-
sitas, charitatis, & obuiam eundi multis in-
firmorum incommodis atque angustiis, tam
eorum qui in Xenodochiis, quàm qui in ædi-
bus priuatis moriuntur. Cum tali proposito,
& absq; vllius Principis fauore, & sine litteris
cuiusquam commendatitiis, sola in Deum fi-
ducia fretus, & sperans, ipsum suæ Religionis
institutum viam sibi ad quæcumque animo
destinaret aperturum, præmisit Mediola-
num versus P. Franciscum Antonium Ni-
glium, cum aliis quinque, quò & ipse postea
est eos consecutus, peruenitque decimâ quar-
tâ Iunij, anno M. D. XCIV. & inde digressus,

Genuam eadem de caussa intrauit decima
 quinta Augusti sequentis. In quibus ciuitati-
 bus, conductis primùm ædibus, deinde vil-
 latis quotidie Xenodochiis, adiutisque, non
 secus atque Romæ & Neapoli fecerant, egro-
 tis ac moribundis, ita initium duabus illis
 foundationibus datum est. Postea verò nego-
 tiis Camillum Neapolim vocantibus, ipse
 Genuæ simul cum P. Baltasare Fonseca con-
 scendit, electâ inter priuatorum triremes
 vnâ, quæ domini Cosmæ Centurionis erat.
 Sed cum in eo itinere res illi occurreret nota
 tu digna, vt appareat, quantum à peccato
 abhorruerit, nolo eam silentio prætere-
 rant. Erant igitur illæ triremes propter incommo-
 dam maris tempestatem in Portu Venens
 expectantes: vbi quidam iuuenes nauæ et
 Camilli triremi, à quibus Dei timor aberat,
 adolescentulam quamdam Hispanam præ-
 cantes, ea coram ipso dicebant & faciebant,
 quæ minimè decebat. Itaque Camillus ob
 enormem diuinæ Maiestatis offensionem
 graui dolore animi percitus, nec valens diu-
 tius istorum hominum imprudentem suffe-
 re procaciam, surrexit, foros conscendit, Cru-
 cifixum manu extulit, asperè eos reprehēdit,
 pauorem omnibus, quotquot in ea triremi
 erant, ingentē incussit. Minabatur enim futu-
 rû, vt tremenda in eos diuina punitio ingru-
 ret,

ret, nisi vitium illud pestilens atque abominabile emendarent. Atque inter alia, his verbis velut sigillo & conclusione omnium hactenus dictorum atque intentatorum utebatur. Denique *totus*, inquit, *obstupescit haereo, qui fiat ut tremendum Dei potentissimi brachium tanta in vos utatur patientia, nec statim statim fulmina è calo emittat, vósque confestim omnes in mare precipitet absorbendos. Verùm scitote id vobis aliquando non futurum, neque huic toti triremi, nisi vitam mutaueritis, & nominatim nisi abominatorem hanc pessimam emendaueritis.* Et dictum hoc euentu probatum est, cum id ipsis accidit circa vigesimum octauum Augusti. Ac fuit quidem hæc res valdè admirabilis, & magnum Domini iudicium, quòd omnes supra dicti iuuenes, cum illa ipsa triremi sua, vno circiter post anno, in eo sinu maris, quem *Golfo di Leone* appellant, submersi sunt, cum in Hispaniam deportarent Comitem Entellæ iam creatum Proregem Neapolitanum: in qua triremi speciatim omnes feminae, atque aliæ Dominæ è comitatu Proreginae vndis obrutæ. Quod postea in alia quadam navigatione quidam senex nauta, vir bonus, qui adfuerat, cum Camillus istos vitæ & lasciuia perditos reprehenderet, eidem Camillo memorauit his ferè verbis:

L 4 Pater,

Pater, isti omnes iuuenes, quos anno præterito in Portu Veneris reprehendisti, unâ cum triremi sua fluctibus hausti sunt, & quemadmodum prædixeras & interminatus fueras, funditus perierunt, ne uno quidem excepto, postquam in pessima ac dissolutissima vita ad extremum perseverassent. Appulit tum temporis Neapolim Camillus satis malè à mari affectus, propterea quòd dies minimum duodecim aëris expositus iniuriis, vni tormento murali ad proram continenter sub dio insedisset, nec umquam animum induxisset ad puppim (quò ab omnibus etiam cum precibus inuitabatur) accedere. Quod ea de causa fecit, quia cum primo die ibi apud illos fuisset, atque ipsis inter se ludentibus vnum inaudisset euomentem blasphemiam, inde statim abcesserit, nec eò amplius redire, nec illis se sociare voluerit. Expeditis deinde negotiis Neapoli, cum multis subditis reuerfus est Genuam vectus triremi Principis Vriæ: quoin itinere magnum adiit discrimen. Dum autem aliquantisper Genuæ conquiesceret, ad eum allatum est, magnam esse Mediolani suspicionem pestis, & Archiepiscopum Viscontè duos è nostris postulasse, quos ad Lazaretti Xenodochium mitteret, vnius familiaria, quæ iam pestis afflata esse contagio ibi deprehensa esset, curam habituros. Ad curam

Xeno-

Xenodochij ingressum præsens adesse cùm percuperet, illuc magnis itineribus & citatis equis contendit, veritus ne sibi aditus intercluderentur. Quò cùm peruenisset, comperit duos è nostris Lazarettum iam intrasse, & illius adiutandæ familiæ partes suscepisse. E qua familia licet vnus in ipsorum brachiis ex pestilentia extinctus fuerit, ipsi tamen Dei beneficio exactis quadraginta diebus separationis, sani & salui citra vllum contagionis vestigium euaserunt.

CAPVT V.

Camillus mutat pristinum modum ministrandi infirmis. Pontifex aliquos è nostris in Hungariam mittit.

CVM esset Camillus Mediolani, & ardenti incitaretur studio semper impensius in pauperum commoda incumbendi, postulatu atque impulsu dominorum Xenodochiis aduigilantium, nonnihil pristinum modum ministrandi infirmis immutauit: suscepta nimirum integra magni Xenodochij cura, totque personis illi attributis, atque ibidem habitare iussis, quot priùs inhabitabant famuli mercenarij. Quæ mutatio facta est septimâ Februarij, anno Domini

L 5 ni

170 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ni M. D. XCV. Et hanc infirmis ministran-
di rationem dicebat conformem esse pi-
mæ suæ intentioni, quam in sancti Iacobi
Nosocomio habuisset, cum ad fundandam
Congregationem diuino instigante spiritu
motus fuit: sed tamen quia hæc seruitij mu-
tatio res noua multis visa est, cum aliter sci-
licet hæctenus ab ipsis seruata esset, hoc est,
cum solitis visitationibus, cœpit Religio ei
contradicere, & afferre, hunc nouum mo-
dum in Bulla foundationis neque contineri,
neque speciatim indicari, sed neque possibi-
le videri, vt ea præstentur ab hominibus vo-
torum vinculo adstrictis, quæ prius exequi
destinarat cum hominibus sæcularibus ac li-
beris. Durauit interim hæc disceptatio ipsos
quinque annos cum tanto Religionis detri-
mento atque vexatione, vt crederetur dæ-
mon ipse ex inferorum solutus compedibus
ad eam extirpandam, ac prorsus disperden-
dam. Cui controuersia tandem per Dei
gratiam à Clemente VIII. Pontifice finis est
impositus, datâ nouâ Bullâ, sicut suo loco
dicturi sumus, ita vt dæmon omnino con-
fusus ac prostratus fuerit. Eodem ipso an-
no, mense Iulio, cum decreuisset idem Cle-
mens Pontifex nonnullas copias gentis Ita-
licæ, ad Strigonij vrbs recuperationem mite-
tere, iudicauit è publicæ rei bono esse, præ-
ter

ter nonnullos alios Religiosos, etiam aliquot è nostris in auxilium & curam infirmorum, atque in suo sacro exercitu morientium, simul amandare. Significauit igitur quot mitti desideraret; & Camillus desiderio Pontificis satisfacere volens, octo è nostris misit, Arbitratus autem magni interesse, vt sui in hac missione (vtpote prima qua Romani Pontifices illorum vterentur opera) iuit ipsemet cum illis Tridentum vsque, vt illos Patres toto isto itinere conduceret, quantum laboris suscipere conueniret in animarum illarum subsidio atque seruitio; speciatim verò admonuit, vt hæreticorum vitarent congressus; vt pacem & concordiam inter se alerent: vt alios operibus magis quàm sermonibus instruerent. Deinde aliis quoque multis documentis scripto exhibitis munitos complexus & benè precatus dimisit. Ipsi verò opitulante Dei gratia magno illis militibus infirmis, vulneratis, moribundis adiumento fuere: quorum curam in Nosocomiis Viennæ, Comari, Alæ & Possonij gesserunt, insuperque in tentoriis apud Strigonium, multa ægrorum amore à vento, à frigore, à pluuia tolerarunt: speciatim procedente exercitu, dum in nauibus aut in curribus maior erga eos cura requireretur. Postmodum autem capto
Stri-

Strigonio , & dimisso exercitu reuersi sunt omnes in Italiam salui & incolumes , præter vnum Hannibalem Montaggiosum Patavinum , qui multis consumptus laboribus & defatigationibus , super vno curru , dum à Nefactio peteret Postonium , morti succubuit. Eum auriga in campo ad ripam Danubij sepeliuit , nulla pro tempore alia ceremonia aut paratu exequiarum vsus , quàm quòd terra operuerit , & crucem ligneam ponè caput infixerit. Tanta charitate Frater ille illustris fuit , vt etiam sæcularis & miles (nam inter milites grauis armaturæ tum militabat) cùm fortè semel pauperem mendicum graui frigore caput algentem vidisset , eius miseratione tactus , instar alterius sancti Martini , gladio galarum suum militarem disciderit , partemque dimidiatam illi dederit : neque omnium suorum commilitonum risus atque iocos (qui gestantem galarum sine superiori orbe cauillis excipiebant floccifecerit.

CAPVT VI.

*Celebratur prima generalis Congregatio.
Pontifex dat Camillo curam infirmo-
rum Leoninae. Fundatur domicilium
Bononiae.*

SEd vt ad Camillum reuertamur, postquam Xenodochij Mediolanensis curam ad se recepit, idem & in alijs ciuitatibus facere parabat. Religione autem ei reluctante ob multas, quæ in eo ministrandi modo occurrebant, difficultates atque incommoda, generalis Congregatio Romæ indicta est & facta, ad eligendos speciatim quatuor Consultores, quorum suffragijs (vincenteorum maiore numero) sicut in Bulla foundationis dispositum fuerat, scribendæ essent Constitutiones, & gubernandæ in posterum Religionis ratio decernenda. Initium porrò dictæ Congregationis datum est à Cardinale Saluiato Protectore, ad decimam quartam Aprilis, anno M. D. XCVI. In qua Congregatione cum non sit mihi animus minutè commemorare quæ & quanta facta sint, ne ab instituta breuitate abeam, hoc solum dicam, omni ope conatum esse Camillum alios Patres in suam trahere sententiam:
sed

174 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
sed illi, quamlibet multis ab eo productis ra-
tionibus, minimè assenserunt: cum tam ipsa
Congregatio, quam ipse Cardinalis Saluati-
tus probè scirent non eam fuisse Religionis
mentem, quam Camillus modò proponeret.
Ad Pontificem igitur adiit, ei que de eodem
negotio supplicauit. Verùm cum neque Pon-
tifici videretur è bono esse Religionis, silen-
tium illi imposuit, mandauit que, vt deinceps
absque vllis alijs Xenodochiorum curis, can-
tùm ministerijs infirmorum per consuetas
illorum visitationes, vt antehac fuerat ob-
seruatum, sedulò insisterent. Cum hac con-
clusionione, postquam electi fuissent Consulto-
res, finis Congregationi est impositus. Post
hac grassante Romæ mensibus Iulio & Au-
gusto longè grauissima infirmitate, quæ spe-
ciem pestilentia præferabat (adeò multos è
medio auferebat) constituit summus Ponti-
fex, vt omnes Cardinales rationem haberent
eorum infirmorum, qui in suis essent parce-
cijs: ipse autem illos, qui in regione Leonina
erant, sibi reseruans, eorum curam P. Camil-
lo, quòd passim apud omnes Pater paupe-
rum haberetur, demandauit. Hic autem ar-
repta confestim & prompto animo suscepta
de pauperibus benè merendi occasione, si-
mul cum alijs duodecim è suo numero ope-
rarijs, falcem mittere in eam sanctam messem
cepit.

cepit. Ministerium verò istud sic ab eo inter
 ipsos distributum: bini Medicum semper co-
 mitabantur, vt rationem tenerent earum re-
 rum quæ pro infirmis ordinabantur. Alij
 duo moribundos visitatum adiutumque
 ibant. Et octo illorum manè & vespere cum
 octonis baiulis onera rerum necessariarum
 ponè sequebantur, quæ ostiatim singulis in-
 firmis, prout fuerat ordinatum, dispensa-
 bant. Curabat Camillus præparari cibaria in
 domo quadam Leoninæ à Pontifice ad hoc
 attributa: vbi per duos menses continuos in
 illo charitatis officio semper occupati fue-
 runt nostri, euntes quotidie, calidissimis licet
 diebus (quales Sol in Leone efficit) non so-
 lum per domos Leoninæ, sed etiam per om-
 nes vineas quæ sunt extra portam Angeli-
 cam, protendendo labores suos vsque ad san-
 ctum Lazarum, & ad Crucem Montis Ma-
 rij, & ad Amsancti valles (quas vulgò *Bocca
 del inferno* appellant) & per omnes forna-
 ces. Quibus rebus magna est infirmis allata
 consolatio, Pontifici amplè satisfactum, po-
 pulo abundè boni exempli datum. Id verò
 non mediocri admiratione dignum fuit,
 quòd cum ea tempestate fermè tota Roma
 isto morbi genere infecta esset, sola nostra fa-
 milia, quæ dies noctesque cum ægrotis &
 moribundis versabatur, ne minimum qui-
 dem

176 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
dem dicto contagio afflata fuerit: Quod aliàs
quoque in simili infirmitate, & statu Religio-
nis obseruatum est: quando Dominus Deus
visus est peculiariter nostros sanos conserua-
se, vt maiore cum animo & corde promptio-
re in officio iuuandorum Fratrum se exerce-
rent. Quæ diuina prouidentia sæpius à Ca-
millo est apud suos exaggerata; potissime
cùm illos, continuatis propter iuandos ze-
gros & moribundos diebus ac noctibus,
propè oppressos laboribus cerneret atque de-
iectos. Tum enim ita dicebat: *Hæc est, Fratres
mei, vera forma vitæ Apostolicæ, propter Dei
amorem & animarum salutem numquam ces-
sare, numquam quiescere.* Ad extremum eius-
dem anni M. D. XCVI. cùm amplius non
posset Camillus crebris Paleotti Cardina-
lis expostulationibus resistere, misit Bono-
niam P. Ioannem Califanum ad domum ibi
fundandam. Quò cùm peruenisset ad quin-
tam Decembris, possessionem sancti Colum-
bani accepit mense consequenti.

CA

CAPVT VII.

Secunda Congregatio generalis. Pestilentia Taurinensis. Fundatio domorum, Florentiæ, Ferrariæ, Messana, & Panormi.

IN secunda generali Congregatione, Romæ habita ad duodecimam Majj, anno M. D. XCI X. Camillus, velut sancto aduersus pauperes amore raptus, denuò vifit atque institit, vt reciperetur modus ille infirmis ministrandi, quem in Xenodochio Mediolanensi introduxerat, saltem certioris experimenti in quibusdam alijs Xenodochijs capiendi gratiâ: proptereâ quòd ex vno solo non posset exacta haberi experientia, quam tanti momenti negotium requireret. Quia tamen nolebat Pontifex vllam eius rei amplius fieri mentionem, & Patres Camillo plenè satisfacere desiderabant, tres alios modos infirmis ministrandi in medio posuerunt. Cum autem nec de illis inter ipsos esset sententiarum concordia, quibusdam illorum nolentibus antiquam visitationum rationem permutari, compromissum fecerunt, totam hanc controuersiam Cardinali Baronio decidendam committere. Hic autem iudicauit, antiquum visitandi modum esse meliorem,

M dicens

178 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
dicens Camillo: *Currebatis benè: quis vos con-*
turbauit? Ad extremum re sic decisa, cum ea
Congregatio tres menses tenuisset, habitis
semper de re iam dicta, siue de modo exer-
cendi instituti, non autem de eius substantia
(quæ nullam habuit vñquam difficultatem)
disceptationibus finis est impositus. Perfi-
xit tamen bonus Pater constans in sua sen-
tentia, firmiter in Deo confisus, impetra-
turum se aliquando quod desiderabat. Sed
ipsius Congregationis tempore Romam alla-
tum est, natam esse in Prouincia Taurinensi
grauem pestilentiam, atque eius Duce[m] om-
ni ope suis subditis auxiliandi cupidum, in
mandatis dedisse suo Romæ Legato, vñ
apud Clementem VIII. Pontificem sollici-
tè ageret de mittendo illuc nostrorum bono
numero. Quod cum Pontifex Camillo per
Illustrissimum Dominum Carugi (qui post-
eà fuit Archiepiscopus Pisanus) significasset,
incredibile dictu[m] est quantam ceperit tota
Religio ex ista postulatione voluptatem.
Tum enim plurimi ad eam Prouinciam,
quamuis periculi plenissimam, vltro se offer-
re, alij missis litteris, alij datis in ipsa Congre-
gatione ad memoriam schedulis, alij flexis
coram Camillo genibus, ad dictam pestilen-
tiam mitti deprecabantur, rati nimirum, se
illius mortis beneficium lucraturos, quæ
tanta

tanta cum martyrio esset affinitate coniuncta. Quibus & ipsemet Camillus primum se esse velle in eo genere charitatis, tamquam aliorum caput, declarabat. Hac tanta nostrorum intellecta promptitudine, mirificè recreatus est Pontifex, cum nouam in Ecclesia Dei exurgere conspexit cohortem tam inuictorum hominum, qui sancta æmulatione certatim contenderent morti occurrere. Denique omnibus iam comparatis, & Religione in promptu habente electos quindecim numero, partim Patres, partim Fratres, Legato renuntiatum est, ne mitteretur, non solum quod pestis se remitteret, sed etiam quod ipse Dux ab Henrico Quarto Rege Christianissimo cum ingenti exercitu impeteretur, propter ius quod in Marchionatum Salinarum prætendebat. Ita in opus non exijt ista sancta & prompta nostrorum voluntas. Bellum verò illud, & ius quod prætendebatur, insigni prudentia & dexteritate Petri Aldobrandini Cardinalis, qui erat nepos Clementis VIII. Pontificis, compositum fuit. Cum esset in hoc statu Religio, eiusque fama longè lateque dispersa in varias emanasset Prouincias tam in Italiae quàm extra Italiam, non paucae litteræ à diuersis ciuitatibus, immò & ab ipsa vsque Hispania ad Camillum uenerunt, flagitantes, ut aliquos è no-

180 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ftris in eas regiones fundandæ inibi Religio-
nis gratiâ , mittere dignaretur. Quin & Ro-
mæ Cardinalis Ioiosa multis contendit ab
eodem obtinere , vt nonnullos in Franciam,
& speciatim Tolosam, in sui Archiepiscopa-
tus sedem, ablegaret. Quorum omnium tot
expostulationibus cùm aliqua saltem ex
parte vellet Camillus annuere , primùm
mense Octobri anni M. D. XCIX. mihi
Florentiam P. Hadrianum Barra cum tri-
bus aliis Sociis: vbi à domino Rudolpho
Bardo, cum consensu Serenissimi Domini
Ferdinandi magni Ducis Terzo, concessa est
domus, & templum S. Gregorij. Eodem
mense, vrgente Comite Hercule Beuilac-
qua, missus est P. Petrus Barbarossa Ferra-
riam: vbi Reuerendissimus Episcopus Fon-
tana in his initiis habitationem assignauit in
Xenodochio S. Annæ, donec postea nostris
attribuit locum & Ædiculam diuæ Virginis.
Decembri autem insequenti amandatus est
in Siciliam P. Franciscus Antonius Niglius,
cui paullò post Illustrissimus Senatus Messa-
nensis tria millia ducatorum ad ædes com-
parandas contribuit. Deinde anno M. D. C.
mense Iunio profectus est idem P. Niglius
Panormum, vbi similiter à Prorege Domi-
no Bernardino de Cardines, Duce Naque-
dæ, & à Nobilibus eiusdem Gubernatoris
asse-

asseclis donata sunt, ad comparandam illic & fundandam domum, duo millia ducatorum & quingenti. Missi etiam sunt sub idem tempus in Hispaniam & Franciam, Pater Cæsar Boninus Madritum, & Pater Nicolaus Clemens Tolosam. Qui tamen certis de causis, quòd istæ duæ fundationes eo tempore minùs necessariæ, minùsque Ordini utiles iudicaretur, reuocati sunt. Consilium enim fuit, bona priùs fundamenta Religionis in Italia, vbi ipsa nata est, iacere; deinde verò & in alias Provincias trans-montanas eam deriuare ac dilatare.

CAPVT VIII.

Contagio Nolana, in qua Sacerdotes quinque è nostris, contractâ in seruitio infectorum pestilentia, mortem oppetierunt.

Cum digni habitus non fuissent nostri ardentem suam charitatem aduersus peste infectos in Taurinensi prouincia exhibere, dignata est eos diuina Maiestas, alibi aliàs consolari: in illa scilicet Nolana contagione, quæ paullò post, hoc est, anno millesimo

M 3 sexcen-

182 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
sexcentesimo, mense Augusto, incurrit. In
qua ciuitate propter multas aquas in eius
ambitu corruptas, tantæ hominum ex infe-
ctione morientium strages erant, vt vix vlli
supereffent viui. Sed quod maioris erat mo-
menti, ij quos ea lues attigerat (propter Sa-
cerdotum & aliorum eius vrbs Religiofo-
rum penuriam, qui vel mortui erant, vel in-
firmi, vel aliò digressi) absque sanctissimo-
rum Sacramentorum participatione inter-
ibant. Illuc igitur, rogatu Proregis Neapoli-
tani, septem Sacerdotes è nostris missi sunt,
qui omnes in id discrimen, vti vltro se obtu-
lerant, ita voluntarij & lubentes se contu-
runt. Quò cum peruenissent, visum est illi-
cor suum primo aspectu velut glacie quadam
constringi, dum eam ciuitatem viderent ci-
uibus vacuam, atque ab omnibus propè ha-
bitatoribus desertam ac desolatam. Vera
enim ipsis, ac minimè ficta effigies illius an-
tiquæ Ierosolymæ tam amarè ab Ieremia
Propheta defletæ ac deploratæ cerni vide-
batur: cum passim, & in omnibus propè
locis portæ & fenestræ essent clausæ, vicini
solitudinem versi, templa minimè frequen-
tata, campanæ mutæ: aut si qua fortassis
audiretur, ea solummodò pro mortuis, &
mæsto ac lugubri sono resonabat. Denique
isti pauci, qui restabant, eam vrbs habi-
tantes,

tantes, ij ferè luteo & tali colore erant, vt mortuis similioreffent quàm viuus. Quare actutum cœperunt nostri ad eorum curre-
 resuppetias, excipere Confessiones, exhibere Viaticum, Oleo extremo inungere, animas Deo commendare, atque etiam (quòd alij ministri ad hoc opus deessent) sepulturæ tradere. Quorum etiam ministrorum inopia, sæpè coacti fuerunt nostri sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum soli ad moribundos deferre, sine lumine, sine campanula, sine vmbaculo, sine vlllo siue Clericorum, siue aliarum personarû (vt inter Christianos fieri solitum est) comitatu. Vnde ad maiorem, & quantamcumque possent in eo rerû statu reuerentiam, cum venerabile illud Mysterium deportarent, deportabat etiam vnusquisque maioris vmbaculi loco paruam vmbellam. Similiter in vsum extremæ Vnctionis vas Olei sancti collo alligatum gestabant. Nec infrequenter accidebat, vt Pater aliquam infirmi domum ingressus, ipse solus absque alio ministro Confessionem audiret, sacram Hostiam offerret, supremo Vnguento lineret, ad extinctum denique efferendum, & in publico collocandum, vt à transeuntibus vespillonibus ad sepulturam asportaretur, adiuuaret. Idem nostri sanis faciebant Sacra, recens natis non paucis Baptismum conferebant,

184 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
bant, concubinos legitimo matrimonio copulabant, qui eodem in lecto pariter ad mortem vergebant. Multi inuenti sunt non solum quatruiduo ante mortem, sed etiam octo ipsis diebus, qui in suis adhuc iacebant stratis, in quibus & alij erant infirmi, qui tamen ipsi propter intolerabilem istorum cadauerum foetore à morte minimùm aberant. At licet Nolæ nec tyranni nec persecutores amplius essent nominis Christiani, quemadmodum priscis temporibus: tamen ipsis eueniebat, vt mortui viuos enecarent, propterea quòd deessent qui mortuos sepelirent. Hac & alia eiusmodi opera pietatis exercebant nostri quotidie, tam noctu quàm interdum, per æstuosissimos mensis Augusti calores domos singulas obeuntes, perquirendis infirmis, quibus & cibaria & alia virium corporis subsidia deferebant. Camillus porrò hac tanta mortalium strage intellecta, tametsi nuperime Genuâ Neapolim cum suis Consultoribus aduenisset maris agitatione multum debilitatus, tamen solita charitate accensus, in eorum numero esse voluit, qui illam gloriosæ mortis inibant prouinciam, sumptisque secum Curtio, & vno alio è suis Consultoribus, in viam se dedit, nihil curans neque Medicorum consilia, neque Superioris domus, neque multorum aliorum ab eo itinere de-

hor-

hortantium, & conscientiaē scrupulum, velut ad certissimam mortem proficiscenti, iniicientium: sed omnino proficisci voluit, vt vel aliquid saltem solatij laborantibus ibi Patribus adferret, atque currentes, vt dicitur, incitaret. Nolum autem cūm peruenisset, dici non potest quantum animo dolorem ē conspectu tantæ miseræ hauserit: præsertim cūm oculis conspexit vnum quempiam coram se ex nimio languore, quod consistere in pedes ampliùs nō posset, humi corruentem. Nolæ Gubernator quemdam compingi iusserat in carcerem, quod is aliquibus nostrorum in nonnullis mortuis tumulandis præstare opem recusasset: Camillus tantis apud eundem Gubernatorem precibus egit, vt tandem liberauerit. Quamuis porrò tam luctuosa calamitas grauissimum eius cordi dolorem infligeret, non minimum tamen ē contrario hauriebat voluptatis, cūm cerne- ret quàm alacres sui Religiosi in his laboribus atque periculis existerent, licet cuncti seferamquam morti adiudicatos intelligerent: quemadmodum non ita multò post eorum plerisque euenit. Nam & multis laboribus oppressi, & fœtoris grauitate obtusi, & aëris pestilentia contaminati, in magnam omnes infirmitatem deciderunt. Vnde Neapolim deportari iussi, intra paucos dies quinque ex

186 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
iis ad meliorem vitam transiere, quorum hæc
sunt nomina : Thomas Troua Pedemonta-
nus, Marcus Marci Bononiensis, Cæsar Vi-
cus è Fano Fortunæ oriundus, Matthæus
Laurinus, & Franciscus Vitellinus, Neapoli-
tani. Qui omnes tanta cum patientia & ani-
mi fortitudine mortem oppetierunt, vt ad
eam libentes oppetendam inuicem alij alios
hortarentur, rati scilicet, illud felicissimum
esse mortis genus, quod pro animarum salu-
te obeatur. Ita libenter, & cum voluptate
obiit P. Cæsar Vicus, qui extremo perunctus
Oleo, vclut iam aliquem cælestis gloriæ gu-
stum percepisset, aggressus est voce suauissi-
ma (vt erat ipse optimus Musicus) decanta-
re *alleluia, alleluia*. Ad quem è morbo de-
cumbentem sæpiùs iussit Camillus consolati-
onis gratiâ clauicymbalum deportari, quo
ad lectum admoto ludens infirmus, & diui-
nas laudes instar canori cuiusdam oloris de-
cantans ad Dominum euolauit. Volebat et-
iam Camillus his omnibus tempore infirmi-
tatis vicem Curatoris ipse præstare mini-
strandis cibariis, agendis vigiliis, legendis
commendationibus, claudendis denique il-
lorum vnicuique sua ipsius manu oculis.
Clemens VIII. Pontifex præcellentis eorum
charitatis, atque ministerij per Cardinalem
Baronium certior factus, ab vsque Roma
suam

suam illis benedictionem misit, plenissimamque indulgentiam in forma sanctissimi Iubilei (quod tum Romæ anno sancto celebrabatur) concessit. Sepulti sunt omnes in templo nostro sanctæ Mariæ à Porta Cæli: quorum animas tamquam fortium Christi athletarum, & veterum suæ Crucis Equitum, nunc in cælesti gloria regnare confidimus.

CAPVT IX.

Qua potestate atque auctoritate Camillum donauerit Nolæ Episcopus.

VM ista Nolæ sæuiret contagio, erat eius vrbis Episcopus Romæ, qui cum ob corporis, vt arbitror, infirmitatem, aut ob tempora profectionibus incommoda, ciuibus suis adesse non posset, intellecta insigni nostrorum erga infirmos suæ ciuitatis charitate, litteris, quas à Camillo acceperat, respondit in hanc formam:

Reuerendissime Pater, & Domine mi plurimum obseruande, non potui absque abundantia lacrymarum Reuerendissimæ Paternitatis tuæ litteras perlegere, in quibus ad me scribis afflictionem atque miseriam Nolæ ciuitatis meæ, atque eius territorij; quæ me adeò afflixerunt, affligunt.

fliguntq̄, vt verè possim dicere, Memet ablu-
 lerunt à me. Neque ego aliud ago in præsentia,
 quàm Dominum Deum nostrum, & gloriosos
 Sanctos qui in ea ciuitate sunt, pro omnium sa-
 lute & incolumitate deprecor, vt eorum tan-
 gantur commiseratione, & pro expiandis pecca-
 tis nostris preces fundant. Omni vsus sum dili-
 gentia in hominibus & Sacerdotibus hic per-
 quirendis, quos Nolam mitterem, sed hæc tamen
 neminè reperire potui qui istuc ire vellet. Qua-
 re plurimas Reuerendissimæ Paternitati vestræ
 gratias ago de ingenti charitate, quam (vt mihi
 perscripsit Abbas Melchior Procurator meus)
 Patres vestri in dicta ciuitate mea eiusq̄ pagi
 erga pauperes infirmos exhibuerunt, quodq̄ ad
 vnicam simplicem nomine meo euocatione
 dignatus sis mihi gratificari, non solum in tot
 mittendis Sacerdotibus, sed etiam in te ipso il-
 luc transferendo. Et cum iam antehac tuæ Re-
 ligioni infinitis nominibus me senserim obliga-
 tum, ab anno scilicet M.D.XCIV. in simili qua-
 piam contagione; tum verò in hoc tempore in-
 aucta est obligatio, vt tametsi me ipsum dele-
 ro, tamen non satisfacero vel minime parti vo-
 luntatis & desiderij mei, quod habui, & semper
 habebō vobis & toti Religioni vestræ seruien-
 di. Accepi etiam, Abbatem Melchiorem, quem
 Vicarius meus suo loco reliquerat, male habere,
 ac proinde credo eum non posse omnibus occu-
 ren-

rentibus necessitatibus providere. Quare his literis concedo Reuerendissime Paternitati tue omnem meam potestatem tam circa omnes casus Episcopo reseruos, quàm circa alia omnia ad Vicarij officium pertinentia: item edicta faciendi, Confessarios approbandi, Presbyteros & alios quoscumque meos subditos ad officium cogendi, & contra mandata venientes, tamquam si ego presens essem, puniendi. Adde præterea, ut sumantur ex meis adibus omnia quaecumque Reuerendissime Paternitati tue & tuis Patribus vsui esse possunt; ac si illa defecerint, iubeat sibi à Procuratore meo dari pecuniam, & pro tuo arbitrio provideri. Denique commendo tibi istas animas cum ardentissimo affectu & lacrymis, & tibi à Domino salutem & votorum tuorum expletionem apprecor. Româ ad decimam nonam Augusti, anno M. D. C.

Reuerendissime Paternitatis tue
Seruus amantiſſimus

FABRITIUS Episcopus Nolanus.

CA.

CAPVT X.

*Clemens VIII. Pontifex finem imponit
controuersie super Religionis Instituto.
Fundatur domus Mantuana. Mittuntur
aliqui è nostris Canissium.*

ITa diuinæ Maiestati acceptæ fuerunt
Camilli preces & opera pietatis, vt post
quinquennij patientiam obtinuerit tandem
à Religione, sed cum multis conditionibus,
quidquid de Xenodochiis postulauerat.
Nam Consultores (ad quorum providen-
tiam hoc totum spectabat negotium) confi-
derantes, propter istud punctum Religionem
è malo in peius semper ruere, iudicarunt ex-
pedire, vt ad eius postulata descenderent: sal-
tem ad maius aliquod eius modi, quem ipse
noster Pater proponebat, experimentum.
Hinc Pontifici supplicauerunt, vt per confi-
rmationem aliquot nouorum statutorum à
Camillo & Consultoribus super re contro-
uersa confectorum dignaretur finem toti
huic disceptationi imponere. Pontifex igitur
desiderans Religionem in pace ac tran-
quillitate domestica degere, id omne nego-
tium Domino Antonio Senecæ (qui post
Anagniensis fuit Episcopus) commisit. Hic
autem

autem vnà cum eodē Camillo & Consulto-
ribus (accepto similiter, vti Sua Sanctitas or-
dinauerat, Cardinalis Saluiati Protectoris, &
Cardinalis Baronij iudicio) Religionis sta-
tuta ad eam formam reduxerunt, quæ iam
legitur in Bulla Clementis VIII. Pontificis,
data ad vigesimam octauam Decembris an-
no M. D. C. sic Camillo votorum suorum
compoti plenissimè est satisfactum, quan-
doquidem inter alia stabilitum fuerit, vt de-
inceps (vbi quidem licuerit, & commodè
iuxta Constitutiones fieri potuerit) inseruiat-
ur in Xenodochiis ad modum à Camillo
præscriptum: sed vbi propter aliquod impe-
dimentum id fieri nequiuert, illic opera na-
uetur per visitationes vt priùs: quibus in
visitationibus declaratum est totam Instituti
vim consistere. Ego quidem sanè tamquam
certum & exploratum habeo, totam supe-
riorem controuersiam ea de causa à Domi-
no Deo permissam fuisse, vt non modò to-
tius Religionis patientia exerceretur, sed et-
iam vt diuersis ministrandi modis in experi-
menta deductis, posset processu temporis in
perfectam diuinæ voluntatis cognitionem
deueniri. Iam ergo Camillus impetratis per
illam Bullam omnibus quæ desiderauerat,
cepit toto, quod aiunt, pectore in executio-
nem incumbere, admittendo & assumendo
quàm

192 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
quàm poterat plurimos Nouitios , domos,
Xenodochia. Et quia nimis prolixa res fo-
ret , omnia eius itinera , labores , fatigatio-
nes , curas , sollicitudines , quæ in recentibus
& nuper admittis Xenodochiis obiuit ac
sustinuit , sigillatim dicendo profsequi ; ego
multa breuè complectens, hoc dicam solum,
anno M. D. C. I. ad extremum Maium, vr-
gente Vincentio Quarto Serenissimo Duce
Mantuzæ per Fratrem Franciscum Gonza-
gam eius ciuitatis Episcopum , virum gregis
sui longè studiosissimum , misisse Camillum
ad eandem urbem s. Franciscum Ama-
dium , vt ibi domum fundaret. Vbi paullo
post ab eadem Celsitudine data est nostris
domus & templum S. Thomæ, & simul cu-
ra Nosocomij. Mense autem Iunio conse-
quenti cum mittendus esset miles Italus ad
recuperandum Canisium Croatiae urbem
maximi momenti, quam Turcæ paullo an-
tè occupauerant , Clemens VIII. Pontifex,
& Ferdinandus magnus Dux Hetruriae non-
nullos denuò è nostris ad gerendam infirmo-
rum militum, & in ipsorum exercitijs mo-
rientium, curam à Camillo poposcerunt. Vnde
Pontifici octo concessi fuere , magno au-
tem Duci quinque . Qui omnes diuina gra-
tia multos ibi labores & ærumnas in ferendis
illi hominum generi suppetiis pertulerunt.
è qui-

è quibus duo malorum atque incommodorum grauitate pressi, & frigoris niuiumque asperitate perdomiti, tandem morti succubuere: nempe P. Ioannes Baptista Picurus Neapolitanus in exercitu magni Ducis, & Hieronymus Beuilacqua Parmensis in exercitu Pontificis. Sed præterire silentio hîc non possum id quod dictis Patribus in castris ad Canisium accidit. Ibi enim in ipsorum tentorium duæ crassæ pilæ ferreæ è tormento murali emissæ, & tres aliæ è bombardis grandioribus itidem crassæ penetrarunt, à quibus tamen nihil penitus nocuementi aut damni acceperunt. Quod non absque manifesto diuinæ Maiestatis fauore euenit; cum vna speciatim ex illis pilis inter tres è nostris simul confidentes media peruolarit, eaque pondo quadraginta grauis, quæ cum in vnâ eorum arcam incidisset, quidquid erat lineum adussit, & vnum insuper pallium, quod intus erat, sed crucem; quæ illi inserta erat, nequiquam attigit. Quæ res totis castris percrebuit, & crux ipsa monumentum prodigij passim ostensa est, quam deinde vnus è præcipuis illis Nobilibus omni opè impetrauit, atque ad pectus tamquam pretiosissimum totius vniuersi thoracem gestauit. Pila verò alia eiusdem ponderis directè in perticam ipsius tentorij incurrit,

N qua

qua deturbata vnam quoq; sedem ligneam
comminuit, in qua iamiam federat idem
Pater Picurus, & è qua post auditam festi-
natò cuiusdam militis confessionem nunc
primùm surrexerat. Nam idem miles coram
dicto Patre adhuc flexis innitens populi-
bus, audito tympani sonitu impensè Patrem
rogauerat, vt citò absolueret, nunc enim
insultum in urbem dari, cui interesse de-
beat, ita vt si paullò diutiùs simul ibi resti-
tissent, ambo in minutissimas partes dis-
cerpti cecidissent. Neque minor Dei mi-
sericordia in quempiam alium è nostris emi-
cuit: quandoquidem illa ipsa pila, prius-
quam rueret in dictam perticam, caput
castrensi pharmacopolæ abstulerat, qui cum
vno è nostris ante portam eiusdem ten-
torij inambulabat: adeò vt si Frater noster
ad eius fuisset dexteram, vti erat ad la-
uam, ictus proculdubiò fuisset ipse, non
alter. Hæc tria exempla idcirco memorata
volui, vt nostris, cum in talibus fuerint pe-
riculis, animos adderem. Ad Camillum au-
tem vt reuertamur, is maiore semper chari-
tatis ardore inflammatus, eodem ipso an-
no curam Xenodochij sanctæ Mariæ No-
uæ in vrbe Florentia est amplexus. In Si-
ciliam deinde iter suscepit, vbi numquam
ex eo tempore fuerat, quo ibi miles ege-
rat,

rat, cum Panormi omnia ludo dilapidaue-
 rat. Ibi autem primum nunc visus, tanta
 est exceptus populi illius lætitia, ac nomi-
 natim Messanæ, vt cuncti ad eum viden-
 dum certatim concurrerent, dicerentque, vs-
 que à sancto Francisco de Paula num-
 quam alium in eo regno fundatorem Reli-
 gionis esse visum, ac proinde beatos esse eos,
 quibus vel manum eius exosculari, vel bene-
 dictionem ab eo recipere iam liceret. Mes-
 sanâ porro transiit Panormum extremo
 mensè Augusto, vbi ipse Prorex, Dux Ma-
 quedæ, ad quem salutandum se Camillus
 contulerat, tanto cum honore & reueren-
 tia eum suscepit, vt semper & capite aper-
 to & stans eum alloqueretur. Sic eidem
 Proregi (interuentu Archiepiscopi D. Iaco-
 bi ab Aëdo, qui benedixit ac consecrauit
 primum lapidem templi nostri sanctæ Nym-
 phæ) placitum fuit eum in fundamenta
 mittere cum solemni pompa & apparatu,
 præsentè Camillo, proptereà quòd ei ad-
 modum addictus esset.

N 2

CA-

CAPVT XI.

*Camillus domos alias fundat, & aliorum
Xenodochiorum curam suscipit.*

Postquam Camillus ad decimam quintam Aprilis, anno M. DC. II. tertium Generale Capitulum Romæ celebrasset (hoc est postridie eius diei, quo Cardinalis Saluatus Protector obiit, cuius extremo certamine atque morti idem Camillus præstò adfuit) continuato ardenti proposito adiuuandi pauperes, mense Iunio insequenti curam suscepit Xenodochij sanctæ Annæ Ferrariæ. Anno autem M. DC. III. mense Iulio rogatus à primoribus Communitatis Viterbientis, ibi domum fundauit: vbi postea nostris donatum est templum sanctæ Mariæ à Podio, & munus quoque administrandi Xenodochij. Neapoli verò sub initium anni M. DC. IV. trium Nosocomiorum curam suscepit, hoc est, Annuntiæ, & Incurabilium, & sancti Iacobi Hispanorum. Quis porro labores eius & sudores, quos in Nosocomijs nuper ab se receptis plurimos subiit, satis oratione prosequi possit? præsertim cum in illis spiritum deuotionis ac pietatis introducere, & charitatem in frigidis istorum mercenari-

rum

rum ministrorum pectoribus propè extin-
ctam redaccendere laboraret. Cuius rei, ne
copia satietatem afferat, vnicum exemplum
referam, & illud solum opus memorabo,
quod in Xenodochio Incurabilium solitus
erat Neapoli factitare. Volebat igitur bonus
Pater, vt primâ Dominicâ cuiusque mensis
non modò omnes infirmi, sed etiâ cuncti in-
firmis ministrantes, & alij qui in aliquo essent
officio, peccata Sacerdoti confiterentur, &
venerabilis Eucharistiæ Sacramentum susci-
perent: ita vt vnâ solemnissimam Com-
munionem generalem quot mensibus exhiberet.
Quamobrem iubebat, vt tam sabbato
antecedente, quàm ipsâ Dominicâ manè an-
te lucem Nouitij omnes, & cuncti domus
Confessarij ad id opus adiutum irent; Noui-
tiorum porrò vnicuique certum assignabat
infirmorum numerum, qui ab illis ad benè
instituentiam Confessionem instruerentur;
Patrum item Confessariorum vnicuique to-
tidem ægros qui ipsis confiterentur, attribue-
bat. Neque eo contentus, quoniam id suffi-
cere non iudicabat, ipsemet in medio stans
Xenodochio, feruentissimam ad eos adhibe-
bat exhortationem de deuotione ad suauis-
simum illum panem cælestem afferenda, so-
lebatq; dicere inter alia: *Ah, Fratres mei, ab-
trahite cor vestrum à luto terre huius, & cogi-*

tate vobis quàm primùm intra vos recipiendum esse eum, qui creauit calum & terram, & uniuersum hunc mundum. Ille est qui nobis vitam dedit, & pro nobis carnẽ assumpsit, & mortem pro nobis subiit. Ille est qui calum nobis preparauit, si quidem boni fuerimus; & infernum, si mali. Quare caute, ne eum extra gratia statum recipiatis, ne forte subito vos terram uiuos absorbeat. His ac similibus uti verbis solitus erat, antequam sacra inchoaretur Communio, deinde cum Sacerdos illam inchoaturus, sacrosanctam monstrans Hostiam diceret, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, tum Camillus flexis coram illo iustitiæ Sole genibus, totus ardenti amore successus, *Ecce*, inquebat, *ô Fratres, nostra salus; Ecce, ô pauperuli, nostra diuitia: agitedum, ex te obuiam Domina cali, qui ad vos uenire dignatus est in loca hac immunda, ad faciendam pacem cum animabus uestris. Poscite ab eo peccatorum uestrorum ueniam: ille est enim ipse, quem vos toties offendistis: & certi estote, si cum uera pœnitentia, & cum firmo proposito numquam eum amplius offendendi poposcueritis, eum uobis certissimò cõdonaturum. Nequam uerò dubitetis, licet gustare panem, uideri panem, tangere panem uideamini: non est, non est omnino panis materialis, sed sub speciebus istis sacratissimis latet uerũ Corpus, & Sangui-*

& Anima, & Diuinitas Christi Filij Dei, nati
 è Maria virgine, qui huc ad indicandum ven-
 turus est. Adorate proinde illum ex toto corde,
 peccata vestra amarè plangite, orate vt vobis
 ignoscat, & vos saluet: quandoquidem ea solùm
 de caussa ad vos venit, vt vos saluet atque san-
 ctificet. Cùm autem post hæc idem diuinissi-
 mum Sacramentum ad infirmos circumfer-
 retur, ipse Camillus retrò flexis genibus, &
 accensa in manu candela prosequens, totus
 amore liquefiebat, neque cessabat vñquam
 ore ardenti res celi altissimas enuntiare. Quo
 etiã tempore curabat paruulos hymnos huic
 rei opportunos in organis decantari: vt multi
 quoque sæculares iis ad deuotionem mirifi-
 cè excitarentur, qui eius sancto exemplo per-
 moti, illa hora ad Xenodochium cum tædis
 ad eiusmodi opus deputatis se conferebant.
 Absoluta infirmorum Communionem, succe-
 debat continenter Ministrantiũ, & aliorum
 Officialium, ac postremò Fratrum nostro-
 rum, ipso Camillo purificationem manu sua
 omnibus porrigente. Idem ferè factitauit in
 Xenodochio Annuntiatæ: vbi non rarò ipse-
 met per sese, quãuis Generalis Ordinis, cùm
 sanctissimum Sacramentum per Xenodo-
 chium deferretur, præibat tintinnabulũ pul-
 sans, & tædam manu gestans, aut certè vas
 aquæ sanctæ comportans, perinde ac si sim-

placitissimus foret Clericus: nec unquam desisteat exhortari, & memoriam excitare, atque ad deuotionem erga tam diuinum Sacramentum infirmos expergefaceri. Ex quibus facile intelligi potest, primam Patris nostri intentionem in suscipiendis tot Xenodochiis non fuisse solum suscipere simplicem corporum curam, sed etiam introducere in ea loca sanctum Dei timorem, & medelam salutemque animis afferre: quæ res proculdubio longe est altera nobilior, & diuinæ Maiestati acceptior. Insequenti deinde Julio, ex multis laboribus, qui diu noctuque in supra dictis Xenodochiis illum exercuerat, in grauem & lethalem infirmitatem ex dolore renum incidit, quo non mediocriter se confectum sentiens, primas cogitationes de abdicando Generalatus officio, uti postea fecit, exsuscitare est aggressus. Omnes porro supra memoratarum domorum fundationes, & Xenodochiorum curæ admissæ ab eo fuerunt in Pontificatu Clementis VIII. qui è viuis excessit ad diem quartam Martij anno M. DC. V. quem secutus est ad vigesimam septimam sequentis Leo XI. eius successor, qui creatus fuerat Pontifex ad secundam eiusdem mensis Aprilis, ob cuius mortem assumptus est in Pontificatum Camillus, Cardinalis Burghesius Romanus ad decimam sextam Maij eiusdem anni, & vocatus est Paulus V.

lus V.

lus V. quo anno octauâ Iunij diuisa est Reli-
 gio in Prouincias, creatiq; in illis Prouinciales.
 Paucis post diebus Camillus domum vnam
 fundauit Bocchianici in sua patria, & vnam
 alteram Teateæ, vbi paruulum quoddâ susce-
 pit Xenodochium. Anno sequenti M. DC. VI.
 ad secundam Martij datus est Religioni no-
 stræ à Pontifice Protector Cardinalis Ginna-
 sius, antiquus Camilli amicus, & eius studio-
 sissimus. Mense autem Nouembri, postulante
 atq; instante Comite Alexandro Sforza, do-
 mû fundauit in Burgonouo, quod vellet, vt
 aiebat, experimentû capere, quem in exiguis
 & infrequentibus locis (vbi non sunt Xeno-
 dochia, sed tota occupatio tantûm circa mo-
 ribundos versari debet) Religio esset habitura
 successum. Iam verò anno Dñi M. DC. VII. ad
 XIX. Februarij ministeriû admisit magni Xe-
 nodochij Genuensis, cum aliquot annis prius
 minoris in eadem ciuitate curam suscepisset.
 Hoc eodem anno misit P. Franciscum Anto-
 nium Niglium ad urbem Calaten, ad fundan-
 dam ibi domum Illustris illius Communita-
 tis rogatu. Omni etiam ope contendit assu-
 mere Xenodochia Romæ, Messanæ, Panor-
 mi, & aliarum quarumdam ciuitatû, sed Pa-
 troni semper sese opposuerunt, iusseruntq; so-
 lis illorû visitationibus esse contentum. Post-
 quam ergo ardens eius charitas Religionem ad

202 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tam multa loca propagasset, & tanta Xenodochiorum onera suis suorumq; humeris imposuisset, cœpit bonus Pater grauissimis exerceri curis atq; anxietatibus, nō modò à quibusdam Patronis, & aliis dictorum Xenodochiorū Officialibus, qui quadam Religionis emulatione atq; inuidia impulsī, non satis benigno oculo eam in dictis locis nidificantem contuebantur (vnde & multas ei occasiones incepta deserendi obiectabant) sed etiā quòd debiles teneræ Religionis humeri tanto sustinendo oneri impares forent. Quare in ista P. Camilli gubernatione Religionis relicta sunt variis ex causis Xenodochia S. Mariæ Nouæ Florentiæ, item Annuntiata Neapoli, & Xenodochiolum Genuæ. Sed difficultas, quæ sapiùs Patri nostro curas & anxietates propter remediorum inopiam peperit, hæc fuit potissimè, nostrorū scilicet morientium frequentia, & continuæ eorundem infirmitates ex assiduis laboribus, quos iis in locis sustinere cogebantur. Quorum ipse tantorum incommodorum ex animi magnitudine contemptor, & solita sua charitate susceptis obligationibus satisfaciendi cupidus, permultos admittere in Ordinem coactus est: ad quorum sustentationē necessariò aggravada fuit Religio magno ære alieno, non sufficientibus in tam multos eleëmofynis ordinariis.

C A

CAPVT XII.

Camillus abdicat se Officio Generalis.

CVM noua illa Bulla, tantis votis à Camillo expetita & accepta, sufficientibus iam experimentis probata esset minùs Religioni commoda, ac iam ipsemet oculis ipsis videret, ob exiguas noui Ordinis vires, & ob grauissimas difficultates quotidie in apertum erumpentes, non posse se, quod tantopere desiderauerat, omnino & penitus exequi, saltem bonam hanc & promptam animi sui voluntatem Domino offerens, & dies suos in pace bona finire desiderans, discedere deinceps à gubernaculo constituit, & se à Generalis Magistratu abdicare. Et quia hæc cogitatio (vt supra est indicatum) vsque ab illo tempore eum incessit, quo Neapoli in grauem inciderat inualetudinem, ibi primùm de ea contulit cum P. Ferdinando à sancta Maria Carmelitano Discalceato sibi amicissimo, deinde Romæ cum P. Flaminio Ecclesiæ nouæ, & cum P. Bartholomæo Riccio, Societatis IESV, & cum P. Fratrem Sancti Guardiano Capuccinorum; atque etiam crebrò cum R^{mo} D. Antonio Seneca Episcopo Anagninensi: ac denique mentem suam omnem aperuit Cardinali Ginnasio Protectori,
à qui-

204 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
à quibus omnibus, vt mea est sententia, variè
responsum est: alijs dicentibus posse id face-
re, alijs negantibus; nonnullis timentibus, ne
si à Religionis discederet gubernaculo, ali-
quod ipsa Religio per eam discessionem pa-
teretur detrimentum. Verùm ipse, ad om-
nem eximendum ex animo scrupulum, bis
ad summum Pontificem adiit, & quid ad
exonerandam suam conscientiam destina-
ret, clarè exposuit. Respondit autem Ponti-
fex, se cum Cardinali Ginnasio Protectore
super eo negotio tractaturum. Hic verò ad
solam Camilli quietem respectum habens,
quòd iam senex & infirmus esset, eius fuit
opinionis, vt ipsius abdicatio admitteretur.
Itaque considerans id actu publico esse fa-
ciendum, è bono communi iudicauit Con-
cilium coram se conuocare, in quo non tan-
tùm is actus decenter ac consentaneè pera-
geretur, verùm etiam de successione tra-
ctaretur. Accersitis igitur Romam cunctis
Prouincialibus ad secundam Octobris an-
ni M. D. C. VII. Camillus in ipso Cardinalis
Palatio flexis humi genibus, officio Genera-
lis se abdicauit, adiecitque, se cuiuscumque al-
teri priuilegio aut prerogatiuæ, quæ ipsi no-
mine Fundatoris restare possent, renuntiare,
idque ita se intelligere, ac cupere, vt in omni-
bus & omni modo sanctæ obedientiæ iugo
subie-

subiectus esset. Qua renuntiatione breuiter summamque laudata ac prædicata, respondit Illustrissimus Cardinalis, ea non obstante prorsus velle, vt plus ei honoris post renuntiationem haberetur quam ante: tum quòd insignis eius probitas mereretur, tum quòd Pater esset totius Religionis. Verùm Camillus propositi sui tenax, eodem vespere aggressus est modestiæ suæ atque humilitatis illustria exempla edere, cum in cœnatione non ampliùs ad primum locum, sed instar cuiuscumque alterius Subditorum ad communem aliorum Sacerdotum mensam sessum iuit. Quod non absque multorum lacrymis atque mœrore est conspectum. Præter hæc iussis postridie manè domesticis omnibus congregari, publicè declarauit abdicationem suam, illosque ad perfectam obedientiam successori suo exhibendam exhortatus est; atque etiam litteras ad vniuersam Religionem super eadem re dimisit: quarum vnæ, quas ad Florentiæ Fratres dedit, erant huiusmodi:

Iam credo intellexeritis, quomodo magna mea cum voluptate Generalis officio renuntiauerim. Erit hoc, vt spero, ad Dei gloriam, & ad Religionis bonum, ac speciatim etiam meum. Superest autem, vt in agendis Deo immortaligratijs me adiuuetis, ac pro me illum deprece-
mini,

mini, ut eum exinde fructum colligam, quem Dominus noster exposcit. Ego vestri amantissimus Pater, ut fui semper, ita nunc ero. Dominus vos benedicat. Româ, decimo quarto Octobris, anno M. DC. VII.

*RR. Patres & charissimi Fratres
Vester in Domino Frater*

CAMILLVS de Lellis.

Vt verò ad electionem Vicarij ventum est, qui ipsius loco Religionem administraret, electus fuit P. Blasius Oppertis, eo tempore Prouincialis Neapolitanus: qui etiam à Sua Sanctitate cùm Breui Apostolico, dato ad decimam tertiam Octobris anno M. DC. VII. approbatus & confirmatus fuit. Huic autem abdicationi adfuere Cardinalis Ginnasius Protector, Reuerendissimus D. Antonius Seneca Episcopus Anagniensis, valdè studiosus eiusdem nostri Patris, & peramicus, Hadrianus Barra, Cæsar Boninus, & Marchisellus Locatellus Consultores, Alexander Galus Prouincialis Romanus, Blasius Oppertis Prouincialis Neapolitanus, Sanctius Cicatellus Prouincialis Mediolanensis, Franciscus Pizzornus Prouincialis Bononiensis, Franciscus Antonius Niglius Prouincialis Siculus, & Marcellus Mansius Secretarius Congregationis. Quorum haud dubiè ne vnus quidem dictæ abdicationi vñquam consentisset,

fisset, nisi multa eius commiseratio speciatim
 eos adegisset, vt ne scilicet amplius ipsum ita
 se per labores & itinera terra marique debi-
 litantem ac consumentem cernerent. Ad
 quod se obligatos in conscientia ratione of-
 ficij quod sustinebant, arbitrabantur. Ille au-
 tem tanta cum spirituali sua voluptate tan-
 dem onus deposuit, vt cum iisdem Patres
 Prouinciarum Romam appulissent, ipse om-
 nibus sua manu pedes lauerit, exosculatusque
 sit. Vnica res tantum erat, quæ illum nonni-
 hil angebat, nempe quod Religionem graui
 ære alieno pressam videbat, quod omne con-
 tractum fuerat ob varias necessitates, & no-
 minatim ob magnum personarum nume-
 rum (qui tum in seruitio pauperum in Xeno-
 dochijs degebat) sustentandum. Qua in re
 profectò tam altum atque excelsum gerebat
 animum, vt ferè potius prodigum censes,
 quàm liberalem, possesque illi istum Dauidis
 versiculum optimè accommodare: *Dispersit,
 dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum
 seculi.* Ac tamen si tantis oppressa grauamini-
 bus esset Religio, nihil tamen vmquam po-
 tuit Camillum separare ab ardenti charitate
 Iesu Christi, suorumque pauperum: non æris
 alieni pondus, non labores, non morbi, non
 mortes, non aliud quodcumque perpe-
 graue, triste, asperum. Quod verò præ ceteris
 omni-

208 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
omnibus semper in Patre nostro fuit com-
mendabile, hoc est, quòd licet tantum pecu-
niarum in pauperum & Religionis vsus com-
moda que expenderit, nihil tamen profusus in
priuatam vtilitatem suam aut commodita-
tem deriuarit aut conuerterit. Nam semper
seu in victu, seu in vestitu, seu in alio quocum-
que vsu, strictissimus sanctæ paupertatis ob-
seruator, & amator communitatis fuit.
Quippe qui hæc solùm delicias suas fecerit,
famem, sitim, vigilias, labores, fatigationes,
calices amaros, contemptus, fastidia, irrisio-
nes, denique amarissimam Iesu Christi cru-
cem, hoc est, sanctam sui depressionem atque
mortificationem, cum omni eo quòd homi-
nibus mundanis odio esse solet, atque abo-
minationi.

CAPVT XIII.

*Camilli exercitia post officij Generalis
abdicationem.*

Postquam se exolutum ac liberum ab
omni genere gubernationis sensit Ca-
millus, repositâ in Dei manibus omni Reli-
gionis curâ, cœpit confestim nouas resumere
spiritus vires, ad reliquum dierum in arrepta
perfectionis semita gloriosè consumman-
dum: solitus in hoc vitæ nouæ principio di-
cere

cere: *Iam Domini mei gratiâ ac beneficio nihil mihi faciendum restat aliud, quàm vt plangam tempus illud meum absque fructu præteritum, & me illi perfectè conglutinem, & saccum meum bonis operibus impleam, ac demum ad vicinam mortem sim benè comparatus.* Propterea cùm se in Xenodochium Annuntiatæ Neapoli recepisset (quod iam denuò à P. Blasio Vicario erat ex parte susceptum) non curauit quarto generali Capitulo interesse, quod Romæ ad decimam nonam Martij anno M. DC. VIII. celebratum est; in quo electus fuit Præfectus generalis totius Congregationis idem P. Blasius Oppertis Siraculanus. In hoc felici statu tum viuebat Camillus, gaudebatque filios suos ire de virtute in virtutem; ad quos instruendos non iam verbis utebatur, sed factis & viuus operibus charitatis. In omnibus ciuitatibus, ad quas ipsum sancta amandabat obedientia, plurimus erat in Xenodochijs, volebatque vt etiam noctu, cùm domi quiesceret, excitaretur, atque ad moribundos lecturus animæ commendationes mitteretur: cumque videret Superiores valdè cõsideranter ac timidè id agere, ob hoc ipsum dolens dicebat illis sæpenumerò, vt nullum personæ suæ respectum haberent, sed ipso, vt alijs, liberrimè vterentur. Cùm esset Mediolani, nullam videbatur vs-

○

quam

quàm reperire consolationem, quàm diu noctuque in Xenodochijs seruiendo nullisque parcendo laboribus, nullis cedendo fatigationibus. Quia de re cum aliquando ad me scriberet Taddæus Altierus, sic aiebat: *Pater noster Camillus Dei gratiâ benè habet: is se inu despicit atque contemnit, ut cunctis sit admirationi. Quod ad labores attinet quos obiit indefessus, omnes stupemus: ipse omnibus noctibus excubias agit, nec amplius quatuor horis dormit. Ipse sacram Communionem egrotis disperdit, moribundos Oleo sancto inungit, mortuos ad sepulturam defert, quotidie ad pauperes manu tenes crucifixum exhortationes habet. Hac tenus Taddæi verba. Et hoc viuendi genus tam laboriosum, tam tædiosum, solitus erat statum felicem appellare, quem nec cum villo alio mundi statu vellet commutare. Hinc scribens aliquando de hac sua felicitate ad P. Alexandrum Gallum, ita dixit: *Pro me orat V^a Reuerentia, speciatim, ut Dominus noster det mihi eum ex hoc meo felici statu fructum colligere, quem ex suo sancto corde desiderat: quem ego alium esse credere non possum, quàm ut ad vera perfectionis religiosa culmen ascendam. Et scias velim, per Domini nostri gratiam tam benè apud me esse, ut statum meum cum toto mundo, aut cum quouis alio statu, ne vno quidem excepto, non commutauerim.* In alijs*

alijs porrò litteris, quas Mediolano ad eumdem scripsit, ita loquitur: *Quòd petis, vt scribam quomodo apud me sit, respondeo, me per Dei gratiam ita sorte mea esse contentum, vt nesciam an amplius addi possit, nisi forè hæc duo. Vnum est, cognoscere me iam in gratia esse Creatoris mei. Alterum, Dominum nostrum, vt sic dicam, mihi reuclare peccata mea esse condonata, meq; saluatum iri. Illa nunc, mi Pater, magis me contentum redderent, & maiori me voluptate, eaq; vera complerent.* Extat porrò altera quædam epistola, in qua cernitur nonnulla in eo residere anxietas, quòd Religionem conspiceret non medioeriter obæratam. Vnde ad P. Petrum Franciscum Pellizonum scribens sic ait: *De reliquo mihi pergratum fecerit vestra Reuerentia, si nonnumquam ad me scribat tam de suo, quàm de aliorum omnium bono statu, & an sint infirmi in Xenodochijs, & per urbem, eaturne ad sancti Spiritus Nosocomium, an multe obueniant elemosynæ, ac denique an Dominus noster aliquid adiumenti ad subleuandam partem aliquam debitorum submiserit, quod ego maxima consolationis loco ducerem, tum istorum debitorum ipse auctor sim.* Ac proinde inter alia, quæ frigidis meis precibus Deum deprecor, vnum illud est, vt ere alieno liberemur. Spero autem Dominum & hoc beneficij præstiturum, & plus adiecturum.

212 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
iecturum. sic ipse. Iam verò in Mediola-
nensi Xenodochio præter alia innumera cha-
ritatis genera ipsi assidue vfitata, semper al-
quid noui in gratiam infirmorum commu-
niscebatur: speciatim autem batillo ferro
comparari iusso, quotidie pavementum Xe-
nodochij & locorum necessariorum emun-
datum atque derafum ibat, vt ne infirmo-
rum pedes, si quando ipsis surgendum esset,
inquinarentur. Deinde, velut verus infirmo-
rum Procurator effectus, sæpè cum Domi-
nis Prioribus agebat, nunc commonefaciens
de penuria indusiorum in Xenodochio, nunc
de togarum, nunc de linteaminum alternis-
que necessariæ supellectilis indigentia. Indi-
cabat etiam de carnibus, si duræ, si malè co-
ctæ essent, item si vinum malum & insala-
bre, si iuscula minùs benè condita. Denique
in his misericordiæ operibus adeò erat solli-
citus, vt nonnulli dictorum Dominorum a-
dentes in eius pectore charitatis flammam
introspectere non valentes, ipsius nonnumquam
caperent fastidium, & tamquam hominem
importunum atque insatiabilem aspicerent.
Sed ipse nihil hæc curans, totus pauperum
bono atque vtilitati intendebat; non modo
in rebus paruis, quales sunt eæ quas diximus,
sed etiam in maioribus operibus in medio
proponendis, suadendis, promouendis. Vnde

non rarò Mediolani eosdem Dominos est
 exhortatus, vt à Xenodochio virorum femi-
 nas disijcerent: & Neapoli in Xenodochio
 Annuntiatae auctor fuit, vt paruula infirmo-
 rum cubicula deijcerentur, quò Xenodo-
 chium latius ac siccius existeret, atque aëri
 magis pateret. Interea dum adhuc esset Me-
 diolani, mandatum accepit à P. Generali &
 à Consultoribus, vt statim visis litteris Ge-
 nuam se conferret, ad eius vrbs domum visi-
 tandam. Valdè malè tum habebat ex vlce-
 re, nihilominùs vt promptæ obedientiæ spe-
 cimen præberet, è vestigio discessit, & volan-
 ti similis iter suscepit. Consultoribus autem
 respondit in hanc formam: *Accepi vnas lit-
 teras à vestris Reuerentijs, in quibus mandaba-
 tis, vt proficiscerer Genuam. Heri eas accepi, &
 hodie discedo. Partibus meis non deero, quin
 prospiciam vt res rectè se habeant: non qui-
 dem vllò imperij genere vtendo, nec cuiquam
 quidquam mandando, sed adhortando tantùm,
 & bona exempla factis meis præbere conniten-
 do. Cùm verò Genuam peruenisset, ac bona
 rebus initia posuisset, tum velut de Consul-
 toribus indolens, quòd ipsum denuò ijs, quæ
 ad gubernationem spectant, implicuissent,
 ita illis scripsit: *Equidem alia omnia potius de
 vobis cogitassetem, quàm quòd mihi visitationem
 istam iniungeretis: duabus tamen de causis lu-
 benter**

benter suscepi: vna quidem, propter sanctam obedientiam, quam tot abhinc annis promisi, & nulla vnumquam in re eius specimen dedi: altera vero propter spem, in quam ingredior, fore ut id ad Domini nostri gloriam & ad bonum Religionis mea redundet. Ceterum optimè scitis, me his viginti tribus annis eoque, amplius satis imperasse, ac nunc esse tempus, quo attendam mihi ipsi, & hoc quidem sanè non declinandi laboris gratiã, sed studio diuinæ gloriæ, & salutis meæ, & boni Religionis. Scio Reuerentias vestras id totum probe nosse, atque exploratum habere: verum enimvero iudicia Dei occulta sunt. Ego me ad sanctam obedientiam refero, atque ad id omne, quod diuinæ placitum fuerit voluntati. Memineritis semper fidelem me fore Superioribus meis, meaque Religioni. Et post nonnulla subiunxit: Tibia mea aliquantò deterius solito habet: plaga, inquam, nonnihil dilatata est, & hodie cepi aliquantulum quietis ad dies aliquot illi concedere, ut paullulum restringatur.

Ita nimirum vir sanctus, Pater ac Fundator Religionis, tametsi omnis eius vita nihil fuisset aliud, quàm continua quædam tormentorum ac laborum series, atque iam in extremo eius curriculo senex esset, & viderosus, tamen maiori promptitudine in hac leni ætate, quàm in robusta & iuuenili fecisset, & obtemperabat, & laborabat.

Ratio

P
f
diolar
profec
vbi de
fituit
corun
Sed q
nibus
que in
obrep
impet
noctil
subfic
& me
Franc
culun
anno
Sanct
re cœ
sum
datis
nodo

C.A.

CAPVT XIV.

*Ratio vite, quam Romæ tenuit Camillus in
Xenodochio sancti Spiritus.*

Postquam Camillus aliquanto temporis
spatio in Xenodochijs Genuensi & Me-
diolanensi operam ægrotis dedit, Romam
profectus est extremo Iunio anni M. DC. IX.
vbi deinceps stabile domicilium habere con-
stituit, nempe aliquod animæ solatium ex lo-
corum sanctorum visitatione percepturus.
Sed quoniam exoptaret cum ardente in ma-
nibus lucerna venienti sponso occurrere, at-
que in sancta charitate occupatus à morte
obrepente inueniri, facultatem à P. Generali
impetrauit manendi cum socio vno cunctis
noctibus in Xenodochio sancti Spiritus ad
subsidium pauperum grauiter laborantium,
& moribundorum. Quam in rem à Fratре
Francisco Priore eiusdem Xenodochij cubi-
culum quoddam est illi assignatum. Itaque
anno supradicto in solemnitate omnium
Sanctorum hunc viuendi modum inibi tene-
recepit. Qualibet nocte post quatuor, aut
summum quinque horas necessariæ quieti
datas è strato surgebat, descendensque in Xe-
nodochium, nonnullas ad Deum preces co-
ram

216 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ram sanctissimo Sacramento fundebat: de-
inde omnes lectos circumiens breuiter cun-
ctos perlustrabat, considerabatque, an qui-
piam fortassis vel morientes vel periculose
laborantes reperirentur, qui præsentis auxilio
indigerent. Tum verò ab illis petere solitus
erat, primò, ritè confessi omnia peccata
essent, ane cælestis vitæ alimoniam perce-
pissent; deinde fidei professionem confor-
miter sanctæ Ecclesiæ statutis exposcebat,
aut sancto inungendos Oleo curabat: neque
priùs eos relinquebat, quàm vel vitâ functi
essent, vel ad benè moriendum satis compa-
rati. Iubebat etiam illos sanctissimum Cru-
cifixum, & suum rosarium, aut aliquod sa-
crum & benedictum numisma exosculari,
nec non inuocatis sanctissimis Iesu & Mariæ
nominibus plenam peccatorum suorum in-
dulgentiam promereri. Hac autem visitatio-
ne absoluta, flexis rursus coram eodem san-
ctissimo Sacramento, aut altari beatæ Virgi-
nis genibus horam vnâ internæ meditatio-
ni insuuebat, vt nostri Ordinis exigit obliga-
tio: sed eam meditationem, si quis moribun-
dus ope indigeret, apud illum peragebat,
quem etiam ad supremum vsque articulum
adiuuabat. Absoluta verò meditatione (in
quam per interualla duas horas & dimidia-
tam per noctes impendebat) si tempus esset
hiber-

hibernum, denuò totum Xenodochium circumibat, atque ad singulos lectos pauxillum restitans, infirmos operiebat, pedes calefaciebat, indusia aut toralia siue lintea sudore perfusa exsiccabat, aut ceruicalia mutabat. Sed tempore æstiuo, cum infirmorum plena sunt omnia, & quorum numerus nonnumquam ad quadringentos & supra excrefcit, ipse, vt tunc infirmi ardente siti excruciantur, cum recenti aqua cunctos percurrebat, ora singulis humectans ac refrigerans. Quare si Christus in sancti Matthæi Euangelio dicit, quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perditurum mercedem suam; quantam, putamus, bono Patri nostro mercedem reseruaturus est, qui pro eius amore tam multis dedit? Hoc peracto genere charitatis, quo non linguas modò refrigerabat, sed etiam istorum pauperum corda recreabat, aliud aggrediebatur, quod ipse *refocillationem* vulgò appellabat. Hæc autem sic fiebat: Multa panis frustra super ferrea craticula torrebat, inde multas in vino offas conficiebat: has ad languidiores, & magis defectos viribus deferebat, quibus etiam oua recētia, pisti cyathum, aut aliquod dulciarium genus porrigebat, nihil in his spectans aliud, quàm ipsorum infirmorum languorem

218 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
rem ac necessitatem. Vnde non pauci eius
opera velut ad vitam resuscitati, atque ad in-
columitatem reuersi, Deum in seruo suo col-
laudabant. Quin ad tam excelsum modestiæ
ac humilitatis gradum pertigerat, vt sæpenu-
mero ad ædes aliquorum sibi addictorum
accederet, vel oua recentia postulatam, vel
dulciaria, vel certè pecunias ad ea comparan-
da, atque ad dictos languentes reficiendos.
Deinde cùm syrups & medicinæ ijsdem præ-
berentur, præstò quoque aderat, & opem af-
ferebat, & multis animum ad ea sumenda &
retinenda addebat, eos scilicet frustulo mali
aurei aut punici, aut alterius cuiuspiam simi-
lis fructus confortando. Cùm verò tempus
instaret sacræ Communionis, ibat ipse om-
nes, qui sacrosanctæ accubitori mensæ essent,
exsuscitatum, & num quid ea nocte comedis-
sent, num quid bibissent, num opus reconci-
liatione cum Domino haberent sciscitaba-
tur, simulque, vt ad suscipiendum tam diui-
num Sacramentum parati essent hortabatur.
Communionem autem finita, statim singulos
admonitum ibat, vt ne citò se in somnum da-
rent, ne nimis properè spuerent, sed dolorem
de peccatis suis à Domino exposcerent. Di-
cebat etiam ipsis iam verum esse tempus cum
Domino Deo de salutis suæ negotio pertra-
ctandi. Denique in ipsorum ora oculos im-
mitte-

mittebat, vt cerneret an Hostiam sacratissimam deglutissent, veritus nimirum ne quid indecens minusque religiosum accideret, quemadmodum aliàs accidisse cognorat. Postea lectos aliquos sternebat, & toralia ijs qui grauius habebant, mutabat, non magni pendens si quem in tali opere propter Deum putorem sentiret quasi intolerabilem. Hæc & alia eiusmodi charitatis opera medijs tenebris, & in noctis silentio vt plurimum efficiebat, cum nullum alium haberet laborum suorum testem & arbitrum, quam pios & infomes Dei oculos, & ipsorummet infirmorum, & quorundam ipsius Xenodochij famulorum: quidquid tum faceret, pro illis omnibus offerendo, qui illo ipso tempore in lectis iacebant, & millenis peccatorum generibus diuinam Maiestatem offendebant. Et quamuis tot horas rectus stare, hoc est à media nocte vsque ad horam prandij matutini, dolebat nihilominus tam breues esse horas, & castri S. Angeli horologium nimis prope- ranter currere, propterea quod sibi videretur nihil profus agere in pauperum seruitio. Cum autem iam dilucesceret, relicto in sui vicem socio, in cubiculum ad legendas preces Canonicas se recipiebat, quod eas deuotius ac sine interpellatione in loco solitario recitaret, vbi nec lamentationibus, nec aduoca-

tioni-

220 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tionibus, nec alijs infirmorum strepitibus vel
impediretur attentio, vel interrumpere-
tur continuatio. Quibus recitatis, & tibia repur-
gata, ad Xenodochium reuertebatur, Deo
sacrificium oblaturus. Offerebat verò vt plu-
rimum pro sancta Ecclesia, & pro sua Reli-
gione, & peculiariter pro infirmis omnibus
ac moribundis. Actis deinde gratijs rursus
Xenodochium circumibat, multaque & va-
ria aduersus egrotos charitatis obsequia exer-
cebat. Horâ verò prandij nec suas hic deesse
partes patiebatur: sed aut ipsos infirmos pa-
ſcebat, aut eorum aliquibus quæpiam poma
aut pyra cocta distributum ibat. Quibus om-
nibus absolutis, quaternos quinòsve lectos in-
firmiorum conſternebat: & cum eiusmodi
operum grata dulcedine domum repetebat.
Ibi duas trêsvè horas immoratus, ad ſolitu-
m Xenodochij domicilium recurrebat, tam
alacris ſemper lætuſque his exercitijs, vt opti-
mo iure poſſet cum Davide illud concinere:
Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat.
Sæpiùs autem Dominicis, & alijs diebus Fe-
ſtis domi remanebat, & nocturnam quietem
capiebat. Quod ipſe non ſolùm ea de cauſſa
faciebat, vt interdium ad audiendas conciones
ſe conferret (erat enim eius anima diuini
verbi ſitientiffima) ſed etiam vt veſperi or-
dinarijs noſtris exercitijs ſpiritualibus inter-
eſſet.

esset. Denique vt maiori cura ac sollicitudine noctu exurgeret, quamuis & ab ætate & ab ulcere multū esset debilitatus, incepit tamen à cœna abstinere, vnico tantum panis frustulo, & medio vini cyatho contentus. Sed omnes suprà dictos labores immensè augebat magnus ille dolor, quem exulcerata afferebat tibia, quæ quidem (propterea quòd tam multas horas diu noctuq; pedibus insisteret) tam acerbè illi dolere incipiebat, vt impar illi esset animus ad eum dolorem exprimendum. Ac tum quidem maximè eum incessabat ac sæuiebat dolor, cum esset hora è lecto surgendi, ita vt ipse has dæmonis malas artes esse ratus, statim atque expergefactus erat, è lecto exiliret, atq; illo pede qui malè affectus erat, terram quater quinquiesve magnis viribus pulsabat, vt hoc vehementissimo dolore alium tibix dolorem retunderet; at is è contrario ita tum excrescebat, vt ipse minimè recundaretur sæpiùs dicere, se per cubiculum manibus pedibusq; reptare. Cum autem in Xenodochium descendisset, tum à lecto ad lectum ipsis obnixus lecticis sensim procedebat: quadam verò nocte inter alias sic in medio lecticarum corruit, vt panè totam faciem deformauerit: cumq; illi à quibusdam infirmis dictum esset, *Titubas mi Pater, quiesce, quaeso, ne cadas:* respondit ipse:

Filio-

Filioli, ego sum vester seruus, & teneor in vesterum obsequium facere quidquid possum. De internæ porrò mentis affectu quo infirmis pauperibus ministrabat, satis erit in medio ponere partem aliquam epistolæ, quam ad me scripsit super hac re Pater Petrus Franciscus Pellizzonus post mortem serui Dei, in hanc ferè formam: Nihil dico de affectu, quo pauperibus ministrabat in Xenodochio sancti Spiritus (id enim perinde esset ac meridiem velle illustrare) sed id mirari satis non possum, neque ex animo dimittere, quòd cum circa aliquem egrotum occuparetur, reuerà tamquam gallina super pullos suos, vel tamquam mater circa filij sui infirmi lectum esse videretur. Quippe quasi affectui suo non satisfacerent nec brachia, nec manus, ut plus etiam faceret, incuruabat se atque demittebat super infirmum, perinde quasi vellet ex ipso corde, ex ipso habitu, ex ipso spiritu aliquid auxiliij, quo indigebat, ei expromere. Et priusquam pedem à lecto moueret, ipse centies vel eius cervical commouebat, vel capitis ipsius, vel pedum, vel laterum operimenta attrectabat, & quàm poterat aptissimè componebat: ac velut ab aliqua detineretur trahereturve inuisibili magnetè, videbatur viam sui expediendi non inuenire: nempe idemtidem nunc ad vnum, nunc ad alterum lecti latus eundo, redeundo, dubitando, inter-

interrogando num ei bene esset, num aliqua re alia indigeret, semperq; interim aliquid ad anima salutem spectans in memoriam redigendo. Equidem nescio, qui posset matris alicuius piensissima erga unicum filium vehementer agrotantem, amor atque obsequendi studium aptius exprimi. Et certe qui Patrem non nosset, minimè arbitraretur eum adisse Nosocomium, ut promiscuè & indiscriminatim cunctis agrotis operam daret, sed ut huic soli tamquam longè charissimo, & in cuius pauperuli vita ingens aliquod bonum consisteret, ac denique quasi nullam aliam in mundo nisi hanc solam cogitationem cordi haberet. Nouit vestra Reuerentia multos his annis postremis obstupuisse, qui posset in tanta sua infirmitate absque ullo fermè cibo, & cum tanta vlceris sui ipsum exhaurientis purgatione, à media nocte vsque ad sumptum ab infirmis prandium in continua vigilia perdurare. Et verò scimus, eum bis tervè minimum præ nimia debilitate, nec absque vite periculo, deficientem corruisse: verùm spiritus atque animæ vigor, quodam velut miraculo vires corporis ministrabant. Equidem ipsomet referente intellexi, accidisse nonnumquam eum tam male habere, ut nullo modo videretur posse exsurgere, tamen omnimodo conatum esse, quamuis cum ingenti dolore, in Xenodachium descendere, ubi cum esset, iuisse ita languidum, sicuti

sicuti tum erat, à lecto ad lectum, ipsismet in-
nitendo lectis, atque ipsas columnas, ne humi
corrueret, manibus apprehendendo: verum vix
quinque sexve lectos pertransierat, cum totus
sibi videretur, resumpto nouo spiritu ac viri-
bus, ad solitos labores reuiescere. Post hæc,
vt Reuerentia vestra nouit, à sancti Spiritus
Xenodochio domum redibat, & quotquot passus
faciebat propter callos, quos in plantis habebat,
toties præ acutissimis doloribus celum inge-
mens respectabat. Hactenus Patris Pellizzo-
ni verba.

CAPVT XV.

*Quinque miserationes Domini erga ser-
uum suum Camillum. Eiusdem Camilli
in pauperibus tempore difficultatis an-
nonæ Bocchianici subleuandis eximia
charitas.*

DVm pergit Camillus eo quo diximus
modo in sancti Spiritus Nosocomio
laboriosam vitam trahere, complacitum di-
uinæ Maiestati fuit, quò seruum suum tam-
quam aurum in fornace perficeret perpurga-
retque; atq; etiam vt gustanda illi, saltem ex
parte, verba ista S. Paulli propinaret, *Quis in-
firmatur, & ego non infirmor?* complacitū, in-
quam;

quam, diuinæ Maiestati fuit, vnam illi diu-
 turnam immittere infirmitatem, qua non
 modò fastidiret omne cibi genus, sed etiam
 exhorreret, atque reiiceret. Atque hæc vlti-
 ma fuit miserationum Domini (sic enim
 bonus Pater suas solebat infirmitates appel-
 lare) quibus illum abundè Dominus in hac
 vita beavit. Nam cùm esset adhuc admo-
 dum iuuenis, prima Domini miseratio, qua
 è cælo affectus est, fuit illa tibiæ plaga incu-
 tabilis, quæ non modò Xenodochiorum (à
 quibus Congregatio nostra sumpsit initium)
 cognitionem ei peperit, sed vna quoq; mul-
 tam exercendæ patientiæ occasionem præ-
 buit. Quippe tanta ex eo vlcere erumpebat
 sanies, vt quotidie ad libram vnam eius co-
 pia attingeret, ita vt madore suo fascias om-
 nes & pannos & tibialia vsque ad ipsum cal-
 ceum (vnde pedem ferè semper sanie tinctū
 habebat) perfunderet. Est autem dictū in-
 credibile, quantum filorum in ea plaga con-
 sumeret: quæ fila in multis ciuitatibus va-
 riæ dominæ illius studiosæ præparabant, &
 speciatim Romæ inter alias, venerandæ Ma-
 tres Turris-speculi, & Domina Prudentia
 Diaz, & ipsa denique excellentissima Domi-
 na Dux Sforza, quæ non dedignabatur suis-
 met ipsa manibus ex multo in illum deuo-
 tionis affectu ea conficere. Huius porro plage

P cru-

crucem quadraginta sex annos circiter ge-
 stavit : ex qua fructum hunc percipiebat,
 quòd eam sibi cælitus immissam cogitaret,
 vt semper obligatus & quasi captiuus in Xe-
 nodochiis manere cogeretur. Secunda mise-
 ratio fuit, quòd in sancti Iacobi Nosocomio,
 cùm esset Præfectus domus, ex continuis
 diu noctuque laboribus ac vigiliis se ruperit,
 ita vt semper ex eo tempore, crasso cinctus
 ferreo cingulo incedere debuerit. Cuius ru-
 pturæ tantus erat cruciatus, vt quemadmo-
 dum ipse solitus erat dicere, à nullo credi
 posset, nisi ab eo qui simili affectus esset ma-
 lo. Et crucem hanc portauit annis vt mini-
 mum triginta octo ; id ex illa trahens com-
 modi, quòd arbitratus se à Domino venum-
 datum, & traditum in pauperum manci-
 pium, meritò deinceps in signum seruitutis
 semper cinctus & ferro circumdatus ince-
 dere iuberetur. Tertiã miseratio fuit, quòd
 sub planta eiusdem pedis, quem dicta plaga
 fatis torquebat, binos insuper callos diutissi-
 mē inueteratos haberet, qui tam acutum illi
 creabant dolorem, vt viæ ipsi viderentur tri-
 bulis & spinis constrata, vnde illa quæ inter-
 dum in eo cernebatur claudicatio, non tam
 è tibiæ doloribus, quàm è callorum cruciani-
 bus procedebat, qui certis temporibus adeò
 excrescebant, vt in faciendo itinere, ne qui-
 dem

dem stapiæ inserere pedem illum posset, sed stapiæ loco fasciola foeno oppleta ei vten- dum esset. Hanc crucem sustinuit annorum viginti quinque spatio, eoq̄ue amplius. Ex qua hoc referebat emolumenti, quòd quo- ties passus faceret, sibi persuaderet velle Do- minum toties eum meminisse, hanc terram non esse patriam suam, ac prætereà monere vt ad cælum aspirans, velis remisq̄, vt aiunt, ad palmam per bona opera & fructuosos la- bores obtinendam contenderet. Quarta miseratio fuit, cùm illa grauis infirmitas ex dolore lateris eum Neapoli inuasit, quæ dein- de tot illi calculos in renibus procreauit, vt cum extremo suo cruciatu nonnullos ea crassitie, qua oliuæ officulum esse cernitur, frequenter extruderet. Quam crucem annis ipsis duodecim tolerauit. Ex qua id haurie- bat utilitatis, quòd iudicaret eam propterea à Domino sibi inflictam esse, vt admoneretur illi seruiendum esse absque vllò cuiuslibet de- lectationis sensu, sed potiùs cum summo cor- poris cruciatu, atque afflictione: quod ipse dicebat verum esse amoris signum. Quin- ta ac postrema miseratio fuit ea infirmi- tas, quæ hoc ipso tempore omnem cibi ap- petitum illi sic ademit, vt quidquid sume- ret, nihil omnino ei saperet, nihil adiuventi afferret, sed potiùs nauseam, foetorem, hor-

rorem importaret. Quæ infirmitas eò vsque paullatim excreuit, atq; illum sic affecit, vt dicere solitus esset, se, cum aliquid sumendū esset, nō modò vnum martyrium pati, sed tria vnum scilicet ante sumptionem, dum de sumendo tantum cogitaret, ita vt posset cum S. Iobo dicere, *Antequā comedam, suspiro*; alterum in sumptione; tertium post ipsam sumptionem, dum plerumq; cogeret id quod sumpsisset, propter retinendi difficultatem, & reluctantis naturæ horrorem, euomere. Et hanc postremam crucem tulit totis triginta mensibus, quæ illum tandem triumphans vicit, atq; ad mortem deduxit. Quæ ex infirmitate hoc interim decerpebat boni, quò meditaretur aduenisse iam discedēdi tempus, & peregrinationis suæ finem, ac proinde Domino Deo nostro minimè placere, vt quidpiam huius mundi ampliùs degustaret. Vnde fiebat vt nihil curans eiusmodi malum, id tamquam donum cælitus à Deo missum acciperet, nec illius eam habens rationem à principio quam par erat, id potiùs studeret celare, veritus ne in manus incideret Medicorum, aut ad alium quempiam singularis vitæ modum deueniret, qui solita charitatis suæ exercitia missa facere cogeret; quod ipse maximum dicebat futurum fuisse malorum omnium, & grauissimam infirmitatem, ex

om-

omnibus quæ incurrere in ipsum potuissent :
ac propterea illo malo minimè cohibitus, ro-
tum se laboribus impendebat, perinde ac si
iuuenis esset triginta dumtaxat annos natus,
qui tamen ipsos sexaginta iam excefferat.
Profectus deinde est vnà cum Patre Genera-
li & Consultoribus Neapolim, & inde men-
se Maio anni millesimi sexcentissimi duode-
cimi missus est ad visitandam domum quam
habebat in Samnio. Quo mense visus est Do-
minus Deus in eam Prouinciam speciatim
illum direxisse, vt multis pauperibus patriæ
sue Bocchianicensis auxilio esset atque sub-
sidio. Nam cum esset eo tempore magna
annonæ caritas, cogebatur gens pauper-
culæ herbis vulgò natis vesci, vnde magnus
hominum numerus in morbos, nec multò
minor in mortem præcepsibat. Videns igitur
Camillus nullum à publico suppeditari
remedium, sponte assumpto boni Patris ac
veri popularis officio, hanc iniit iuuandorum
pauperum & subleuandæ egestatis ratio-
nem. Cum inuenisset in dicta domo bonam
copiam fabarum, ciceris, ficuum aridarum,
sorborum, castanearum, & aliorum similium
fructuum hibernorum, iussit hæc omnia in
pauperes qui ad portam accedebant, & qui
ducenti numero circiter erant, larga manu
distribui, addita etiam ingenti olla legumi-
num,

230 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
num, quæ singulis diebus manè coqui impe-
rabat. Consumptâ autem hac alimoniâ, &
incipientibus emergere nouis fabis, manda-
uit, vt quotidie manè in paruulo quodam
nostro prædio earum certa mensura collige-
retur, quam postea panis vice dispensabat.
Quin cum intellexisset propter dictas fabas
illius prædij portam seruari clausam, manda-
uit vt relinqueretur aperta, sicque omnibus
pauperibus ad eas comedendas quouis tem-
pore liber pateret aditus. Quo in facto ma-
gna postmodum eluxit Dei prouidentia.
Quamuis enim dictarum fabarum non am-
plius satum fuisset, quàm exigua quarta pars
vnius mensuræ, ac tanta interim earum copia
partim collecta, partim comesta esset, ad
extremum tamen, cum vnusquisque existi-
maret ne vnâ quidem esse reliquam, Do-
minus Deus noster ita eas multiplicauit, vt
collectæ rursus fuerint minimum sex aliarum
mensuræ: ita vt nostri omnes tantam vim di-
uinæ prouidentia vehementer obstupescerent.
Cum autem ad succurrendum toti
egenorum multitudini tam virorum quàm
feminarum, qui præ verecundia intra ædium
suarum septa se continebant, id auxilij non
sufficeret, conuenit Camillus omnes terræ il-
lius homines locupletes, ac speciatim aliquos
Priores Xenodochiorum & piarum Socie-
tatum,

ratum, exposuitque sibi quidem aliud nihil ad dandum superesse, ac proinde ipsorum nunc esse in tanta necessitate miseris pauperibus succurrere. Tandem ergo, multis superatis difficultatibus, aureos centum à Xenodochiis, & totidem alteros à dictis Societatibus impetrauit. Ad quod tamen exequendum cum Vicarij vrbis Teatez facultas esset necessaria, ipsemet confestim eum adiit, & reconfecta raptim rediit: magno quidem pauperum emolumento, sed valetudinis suæ haud minori detrimento. Iter enim illud ferè totum pedibus percurrit: propterea quòd equitationem sibi tum permolestam, tum admodum infaustam expertus esset. Vnde cum Bocchianicum reuersus esset, totus ex itineris labore defatigatus, & aggrauato insuper tibiæ dolore multum debilitatus, accedente ad hæc febri acutissima, parum abfuit, quin vitam amitteret: postea tamen aliquantum conualuit, & ad solitam adiuuandorum pauperum curam atque sollicitudinem rediit. Cumque aduerteret, nec ducentos illos aureos in tantam inopum turbam satis esse, petiit obtinuitque, vt consiliu Communitatis in vnu coiret, ad quod ipse etiam febri æstuans profectus est, & tanto mentis feruore pauperum causam egit, vt totus consilij coetus vim eius dicendi atque prudentiam admira-

tus, atque insignem in miseros charitatem
 amplexus, alteros illi ducentos aureos in
 idem subsidium attribuerit: quos ipse Ca-
 millus per egenorum tuguria distributum
 iuit. Postquam verò febrī inualecente, at-
 que eum lecto affigente, id munus per se præ-
 stare non potuit, tres eximiæ probitatis viros
 delegit, qui eam distributionem peragerent,
 quibus quotidie duas minimùm horas au-
 res dabat, quò intelligeret quemadmodum
 res ea transigeretur. Denique his officiis bo-
 nus Pater omnem illum populum graui ne-
 cessitate liberauit, etiamque morti præripuit.

C A P V T X V I.

*Postrema Camilli itinera, & suprema
 infirmitas.*

C Amillus à febrī quidem curatus, sed re-
 manente continuo illo cibi fastidio,
 Neapolim reuersus est, atque inde cum om-
 nibus Consultoribus Romam. Ibi interfuit
 Capitulo V. Generali, celebrato Kalendis
 Aprilis anni M. D. C. X I I I. vbi creatus fuit
 Generalis Pater Franciscus Antoniꝯ Ni-
 glius Neapolitanus, qui tum erat Romæ Pro-
 uincialis. Hic ad visitationem Religionis pro-
 fecturus, necessarium esse iudicauit secum
 habe-

habere Camillum, qui idipsum non medio-
 criter desiderabat, saltem ad vnum (vti dice-
 bat) contutum omnium domorum & Xe-
 nodochiorum Galliae Cispinae, priusquam
 è vita discederet. Atque in hoc postremo iti-
 nere magna cum deuotione & lacrymis per-
 egrinationem obiit, & vltimum Sacris opera-
 tus est in sancta Aede Lauretana. Inde per-
 transijt domos Bononiensem, Ferrariensem,
 Mantuanam, Mediolanensem, relictis vbi-
 que optimis ac sanctissimis monitis, & maxi-
 mo praesertim sui desiderio. Grauiissimus
 enim filios eius incessebat dolor, cum illa po-
 tissimè verba, quae dicere illis solebat, cum
 animis suis voluerent, nempe, fortè non visu-
 ros eum ampliùs in hac vita. Vnde complu-
 res (sicut olim antiqui Christiani vrbis
 Ephesi S. Paulo Apostolo faciebant, cum
 ipsum magno cum fletu exosculati ad nauem
 deducerent) ita hi eius osculatis manibus, et-
 iam corde & lacrymis abeuntem prosequen-
 bantur. Deinde, vt venit Genuam, ciuitatem
 semper sibi dilectam, & ab eximia illustrium
 virorum erga miseros Xenodochiorum pau-
 peres charitate ac liberalitate commenda-
 tam, ibi multò grauiùs habere coepit. Hinc
 statim atque periculum infirmitatis euulga-
 tum est, sermo multorum fuit, non passuros
 illos Dominos, si ibi fortè moreretur, eius

P 5 corpus

234 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
corpus è ciuitate efferri. Quod indolentes
nostri (propterea quòd omnes illum Romæ
desiderarent) cœperunt quanta maxima ve-
hementia calidissimas ad Deum Opt. Max.
preces fundere, vti tantillum ei conualescen-
tiæ indulgeret, quò Romam vsque deduci
posset: quod ipse quoque summoperè expe-
tebat, vt ossa sua scilicet in sancta illa ciuitate
deponeret tot Martyrum sanguine purpura-
tâ. Igitur cùm aliquantò meliùs haberet,
diffideret tamen ob nimiam debilitatem
posse iter illud terrâ conficere, Dominus Ca-
rolus Doria Dux Turfi, ex summa in eum
beneuolentia atque amore iussit apparari
commodâ ad eum deportandum triremim,
quâ omni genere necessariarum rerum &
commoditarum instructâ (vt illustribus per-
sonis fieri assolet) Romam dimisit. Ita gene-
rosus ille vir Dei seruum honorare voluit.
Quo in itinere visa est etiam dulcissima Spi-
ritus sancti aura, velut fauori eius obsecun-
dans, perpetuò esse comitata: siquidem tri-
duo non integro (quamuis noctu non sit na-
uigatum) eadem triremis, Patrona appellata,
ad Centum cellas semper secundo vento ap-
pulerit, & triduo item altero non integro
Genuam similiter reuerterit. Quæ res à mul-
tis magna cum admiratione obseruata est, &
nominatim à Domino Nicolao Rella, eius
Capi-

Capitaneo. Quam ipse quoque Dominus Carolus supra nominatus non sine multa animi voluptate perspexit, qui triremem illam mittens, significari Camillo iusserat, eam se illius precibus commendare. Igitur cum ad Centum cellas applicuisset, mandatum à nostris est, ut lecticâ exciperetur, atque ad sanctæ Seueræ deportaretur, quia eò usque equitare vix potuisset. Romam tandem peruenit decima tertia Octobris anni millesimi sexcentissimi decimi tertij, vbi domum ingressus, velut præfagiens ibi fore suam sepulturam, totus gaudio delibutus, *Hæc est*, inquit, *requies mea*. Nostris deinde omnibus ad osculandam eius manum concurrentibus, vix ad eum Pater Iacobus Mancinus Præfectus domus accesserat salutaturus, cum Camillus ei dixit, habere se in crumena nescio quot denarios (quos Genuæ à Dominis eius vrbs ad maiorem itineris commoditatem acceperat) non posse autem nunc illos dare, quòd iam secunda esset noctis hora, & ipse admodum defessus: postulare se proinde, ut liceret eos penes se usque in crastinum tempus matutinum retinere, cras se illi traditurum. Quod admiranti Patri, & facultatem omnem concedenti, dixit idem Camillus non debere eum id mirari; nisi enim vel pecunias tradidisset, vel hanc facultatem

tatem accepisset, fieri non posse, vt vllam ea nocte quietem caperet. Pòst autem ipsi in lectum deposito, & à Medicis visitato, fuit inter alia præscriptum, vt quindecim diebus proximis Officium Canonicum non recitaret, & quotidie carnes deinceps manducaret. In quo dici non potest quantum ipse laborarit, vt se in hoc assuefaceret. Necdum autem dies quindecim transierant, cum accito eidem Patri Iacobo (cui his mensibus vltimis peccata confitebatur) dixit: *Cùm venerit Medicus, petite, vtrum tanta sit infirmitas mea, vt legere non debeam Officium: sed hoc dum petetis, caute aliquid ex vobis addatis, sed sinatis eum dicere quidquid ipsi visum fuerit.* Et cum idem Pater subiiceret, ne de hac re esset sollicitus, quandoquidem quindecim dies necdum præterissent, respondit: *Omni- no expedit, quod securum est, nos sequi. Nam quis scit, an Medicus intellexerit illos dies quindecim inchoandos esse ab eà hora in qua facultatem tribuit?* Itaque debuit Pater ille, quod hic petebat, exequi. Quadam feria sexta, cum ipsi sumendum esset vnum consummatum, vt vocant, poculum, iam ori admotum remouens, *Licetne, inquit, sumere?* Respondente infirmorum Præfecto licere, necesse fuit multos id testari, nempe ita mandatum fuisse à Medico: tum demum sum-
psit.

psit. Postea cum sibi visus esset in isto principio nonnihil meliusculè habere, eum inuasit desiderium eundi ad sancti Petri: in via verò mox ut pontem sancti Angeli attigit, modicè sublato rhedæ tegumento, cœpit suum illud dilectum sancti Spiritus Xenodochium contueri, & quodam amoris affectu intentis oculis contemplari: deinde ad ipsum ut peruenit, iuvari ad descensum è rheda petiit, & illud ingressus, cunctos ordine infirmos adiit, duobus è nostris, qui illum sustentabant, innixus. Fuit porrò id pietatis ac deuotionis plenissimum, quòd ei repente Xenodochium ingresso, statim omnes ferè illius ministri, aliique officia gerentes accurrerunt manus osculatum, & reuerentiæ venerationisque signa exhibitum: quorum etiam nonnulli dicebant, *Iam tempus adest, quo vigilantiores nos esse oporteat, Camillus enim redijt.* Adeò vigeat etiam tum eius feruentissimi zeli, atque ardentissimæ charitatis, quam in dicto Xenodochio exercere solitus erat, pristina memoria. Inde ad sancti Petri progressus, ibi & semetipsum impensè, & totam Religionem sanctis Apostolis feruidè commendauit. Aliquot autem diebus post, ratus aliquantò meliori se uti valetudine, ad idem rediit Xenodochium (& hæc postrema fuit illius visitatio) ibique multa exhibuit solitæ

litæ

lita charitatis officia, ita pauperum infirmorum amans & studiosus, ut auelli ab eis non posse videretur, diceretque ipsis inter alia: *Deus nouit, Fratres mei, quàm mihi charum foret, vobiscum semper esse, & manere, sed quando id non conceditur, animo saltem vobiscum sum.* Atque his verbis postremam salutem suo perquam dilecto Xenodochio dicere visus est. Domum deinde reuertenti tanta per viam debilitas incessit, ut quasi moriturus in officinam quamdam ad requiescendum ingredi debuerit, & domum rhedâ deportari. Postea verò cum in cubiculo suo decumberet, sciretque duos alios Fratres in valetudinario iacere infirmos, ipse sapius è lecto surgens se induebat, eosque visitatum ibat, nec ab officio charitatis vniquam cessabat, dicebatque: *Cum non possim amplius ad Xenodochium ire, supplebo saltem seruiendo, & visitando hos meos charos Fratres infirmos.* Neque tamen vllus erat eo infirmior, quippe quem duo Fratres vix fulcire incedentem possent. Nihil dico de illa cordis mœstitia, qua intus consumebatur, cum æris campani signum ad Xenodochium euocantis audiret, sancta quadam æmulatione illis Patribus & Fratribus inuidens, qui illuc ibant: & quinam illi essent idemtidem interrogans, & reuersis dicens: *Beati estis vos Patres mei, qui in sancta*

illa

illa vinea fuistis. Prætereà socium eodem tempore commonuit, ne clauem cubiculi, quod in eodem habebat Xenodochio, prius redderet, quàm ipse esset mortuus. Dicebat enim: Quamuis ego non sim in Xenodochio præsens corpore, at saltem animo ibi versor & desiderio, cuius rei pignus erit ipsa clavis. In lecto postea decumbens, sæpenuerò in variis occasionibus assererat, se ex ea infirmitate non reualiturum, rationemque addebat, dicens: Ego enim sum senex, & multis annis grauis, prorsusq. ad interitum declino. E mea plaga tanta effluit sanies, vt quotidie ad vnã libram, in anno ad vnum cadum & dimidium humoris ascendat copia: ita vt solius Dei sit patrare miracula. Verùm ego mihi persuadeo me non sanatum iri. Iam verò prima die Maij manè, anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, accersito domus Præfecto petiit, an necdum accepisset nouum sanctum Oleum; illoque respondente, necdum accepisse, subiecit Camillus, se id iam noctu per somnium cognouisse: ac proinde monuit, vt quàm primùm ad illud accipiendum mitteret, quoniam eo propediem opus foret pro Fratre Ioanne Maria Veronensi, ac deinde pro semetipso: atque ita vtrique contigit. Nempe hoc modo bonus Pater etiam interdormiendum cogitabat & sollicitus erat de rebus

240 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
rebus ad vicinam mortem necessariis. Cùm
aliquando eo præfente haberetur de eius in-
firmitate Medicorum consultatio, discursu
ipsorum variis de rebus audito, tandem ita
conclufit: *Domini mei, tot ego hæcenus reme-
diis vsus sum tam Neapoli quàm Genue, & hic
Roma, nec vllum post hæc omnia mali mei ap-
paret leuamentum: vnde iudico ignota nobis
effe Dei consilia. Quis scit, an non velit Domi-
nus aliquid me pro sui amore pati? ecquando
tandem aliquid boni eius causâ faciemus, si
nunc non faciamus, dum in extremo vita su-
mus?* Postridie autem cùm renuntiatum illi
esset, conclusum à Medicis fuisse, eius mor-
bum posse quidem longè produci, sed vt ipse
ex illo releuetur, fieri non posse; tum verò
Camillus his auditis in hilaritatem versus,
*Letatus sum, inquit, in his que dicta sunt mi-
hi, in domum Domini ibimus. Quamobrem
spe omni sanitatis deposita, tantò ardentius
se Creatori suo coniungere & conglutinare
institit. Interque alia misit ad omnes Con-
uentus & Monasteria, & domos alias Reli-
giosas instituti sui obseruantes, summopere
deprecans, vt in suis ad Deum orationibus
meminisse eius vellent. Toto autem infirmi-
tatis suæ tempore nihil vumquam de diligen-
tia in rebus spiritualibus, nihil de accurata
Regularum Instituti sui obseruatione (quan-*
tum

tum quidem vires & facultas tulerunt) vni-
quam remisit. Hinc omni vespere, accitis ad
se aliis atque aliis Patribus, petebat sibi legi
Litaniarum, ad quarum lectionem iunctis ipse
manibus respondebat: examen item con-
scientiarum numquam omittebat. Quin etiam
quoties ad mensam legebatur, quod eius
cubiculum supra cœnationem esset, ipse ca-
put è strato efferens, versus pavementum de-
mittebat audiendæ lectionis gratiâ: & acci-
dit nonnumquam, vt totam optimè intelle-
xerit; adeo porrectis ad eam erat auribus.
Dicebat enim, istam horam magis animæ
pascendæ quàm curando corpori esse desti-
natam. Cum Frater quidam Nouitius ipsa
die Pentecostes manè solemnem esset editu-
rus Professionem, dixit ei Camillus: *Frater
mi, postquam Professionem edideris, & te ip-
sum Deo per sancta vota obtuleris, statim me-
mento pro me misero peccatore Dominum de-
precari: precare, queso, illum pro hoc monstro
peccatis pleno, & spiritu vacuo: precare, vt
Dominus id mihi præstet beneficij, vt saluus
fiam.* Postea verò quàm idem bonus Pater
multas hebdomadas in suo cubiculo decu-
buisset infirmus, vnde quotidie ad audien-
dum Sacrum manè confurgens exibat, tan-
dem maioris sui submissionis gratiâ statuit
ire ad commune Valetudinarium: quod fe-

Q cit

242 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
cit die decima octaua mensis Maij suprâ di-
cti. Qua die tam debili languidoque erat
corpore, vt in via à cubiculo suo ad Valetu-
dinarium semel debuerit interquiescere, licet
duorum Fratrum humeris innixus. Ibat au-
tem membris tam incuruis, vt caput ipsa ge-
nua propè attingeret. Dispersâ porrò ingra-
uescentis morbi famâ, multi partim Religio-
si, partim sæculares ex omni statu ad eum vi-
sitandum adierunt: qui non mediocriter spi-
ritu recreati sunt, non modò eius verbis, sed
etiam ipso venerandi senis aspectu, iacentis
non in cubiculo benè apparato, sed in paupe-
re & communi Valetudinario: in digressu
autem omnes plerumque flexis coram illo
genibus manum eius exosculabantur, & be-
nedictionem deposcebant. Beatos etiam se
reputabant, qui aliquid ex eius rebus habere
poterant, & speciatim multi ex eius amicis
ac familiaribus domum mittebant manti-
lia, puluinaria, aliaque ex lino utensilia, quæ
in ipsius usurpata obsequio, ac deinde re-
sumpta in magno habebant pretio, & in de-
uotione singulari. Nam tanta erat apud
omnes eius opinio sanctitatis, vt hac incitata
quædam mulier, ad portam cum infantulo
infirmo venerit precabunda, vt ad Camil-
lum deferretur tangendus, & benedictione
consanandus. Verùm id à Patribus non est

con-

concessum, scientibus id non mediocriter Camillo displiciturum. Neque à sæcularibus tantùm res eius diligenter perquirebantur, sed à nostris multò magis; qui vt primum de eius salute deponere spem cœperunt, statim res eius omnes velut quædam sacra spolia diripuerunt, fortunatos arbitrati, qui aliquas partes pannorum, fasciarum, calceamentorum, tibialium, aut quorumcumque aliorum eius vestimentorum adipisci potuissent. Denique eò progressum est nostrorum sanctum desiderium, vt à bibentis Camilli ore vixdum amoti crateres, & alia eiusmodi, quibus modò vsus esset, statim auferrentur, nec amplius comparerent. Quæ omnia fiebant ipso insciente. Nam vt semel cœpit subuereri, ne suum sibi rosarium esset commutatum (nam quidam è Patribus multa coëmerat, & omnia Camilli rosario similia, quorum vno cum vsus esset, mox illud tollebat, & reponebat aliud) vt semel, inquam, cœpit de commutatione subuereri, admonuit infirmorum curatorem, ne amplius rosariũ suum è clauo suspenderet, adeoque ipsemet, quò esset securior, ad lecti cervical illud habere voluit ac retinere. Iuuenis quidam nobilis annorum duodecim spatio in grauis delicti praua consuetudine sic immerfus erat, vt dies nullus transiret, quin ali-

Q 2

quo-

244 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
quoties in illud laberetur : hic tandem ad
Camillum missus fuit , vt se eius precibus
apud Deum commendaret : promissit Ca-
millus se facturum ; eaque promissi vis fuit,
vt diuino beneficio ex ea hora talem in se vi-
tæ mutationem esse factam idem Nobilis af-
firmauerit , vt rem sanè stupendam ac pro-
fus admirabilem sibi videri dixerit. Eam ipse
postea non est veritus cum omni libertate
aliis enarrare . Quin & sua manu conscri-
ptum eiusdem rei testimonium Confessario
tradidit in confirmationem eius quod dixi :
atque ex eo tempore cœpit cum insigni ani-
mæ fructu sanctissima frequentare Sacra-
menta.

CAPVT XVII.

*Camillus magna cum pietate ac deuotione
suscipit sanctissimi Sacramenti Viati-
cum, & extremam Vnctionem.*

VBi fenfit Camillus morbum in dies non
mediocriter inualescere , institit vehe-
menter , vt sibi extrema vitæ huius Sacra-
menta traderentur , hoc est , sanctissimum
Viaticum , & extrema Vnctio , quorum præ-
fidiis iter illud alterius vitæ confidentiùs in-
grederetur , & aduersus omnes communis
inimi-

inimici insultus fortiùs atque animosiùs depugnaret. Quod Domino Cardinali Ginnasio Protectori indicatum cum esset, collibitum ei fuit, pro sua ipsius deuotione & pio in Camillum studio, sanctissimum Viaticum ipsi administrare. Domum igitur venit die secunda Iulij, anno M. DC. XIV. in solemnitate gloriosæ Visitationis B. Mariæ semper Virginis, & celebrato priùs sacrosancto Sacrificio, iuit ad Valetudinarium sanctissimam Eucharistiam Camillo porrecturus. Qui Camillus dictis tertio consuetis precibus, *Domine non sum dignus*, cum multarum effusione lacrymarum subiecit: *Domine mi, equidem confiteor nihil me unquam fecisse boni, & miserum me esse peccatorem: quare nihil aliud mihi relictum est, nisi sola spes diuine tue misericordiae, & pretiosi Sanguinis tui.* Deinde suauissimo illo Angelorum pane satiatus, orauit aliquamdiu in corona Patrum ac Fratrum, qui omnes eius cingebant lectum mœsti ac dolentes, videre se Patrem suum longè dilectissimum accingentem se ad discessum ab eorum oculis. Posthæc Dominus Cardinalis verbis perquam humanis illum est consolatus, nouumque animi eius robori robur addidit. Solebat Camillus quotidie manè peccata confiteri, tantamque Dei gratiâ erat affecutus conscientiae puritatem,

vt defectu materiæ difficultas Confessario
 oboriretur absolutionis impendendæ, nisi
 iuberet aliquod olim admissum in saculo
 peccatum clauibus subiicere. Ita dicebat, &
 iuratus affirmabat eius Confessarius. Quæ
 cùm ita essent, tanto nihilominus timore
 ac tremore salutis suæ corripiebatur, vt sibi
 prorsus diffidens, spem omnem in pretioso
 Iesu Christi Sanguine collocaret. Quocirca
 his postremis diebus petiit à Confessario sibi
 picturam quamdam hac figura procurari:
 nempe Christi in Cruce morientis cum duo-
 bus Angelis, vno ad dextram, altero ad fini-
 stram tenentibus manu calicem aureum, qui
 Sanguinẽ è Vulneribus Iesu exciperent: supra
 Crucem volebat esse Deum Patrem cum
 Spiritu sancto in columbæ forma, & cum
 aliis duobus Angelis ad singula latera, qui
 Sanguinis Calicem Patri æterno offerrent in
 remissionem peccatorum ipsius Camilli. Ad
 pedem Crucis dextrorsum cupiebat depingi
 beatissimam Virginem pro ipso deprecan-
 tem, sinistrorsum autem S. Michaëlem Ar-
 changelum, tamquam animarum in extre-
 mo transitu defensorem. Petebat etiam sub-
 ter Crucem hæc inscribi verba: *Parce Famu-
 lo tuo quem pretioso Sanguine redemisti.* Ad-
 debat insuper, depingendum sanguinem be-
 ne rubrum, quò illum clarè ac distinctè con-
 tem-

templari posset, nec non in bona copia, vt ex magna hac abundantia sanguinis, tantò plus spei hauriret suæ salutis. In his similiter postremis diebus, cum facultas non recitandi Horas Canonicas pertransisset, ipse considerans sibi adhuc aliquid spiritus superesse, postulauit vt noua facultas à Medico posceretur. Cui cum à Præfecto domus diceretur, *Pater, tua Reuerentia tam malè habet vt de extrema Vnctione agatur, & tamen cupit vt facultas illa poscatur*; respondit ipse: *Etiamsi mihi ad caput extrema candela ardeat, tamen tali opus est facultate ad quietem meæ conscientie*. Ita ergo faciendum fuit. Fermè quotidie à diuersis cuiuslibet gradus atque dignitatis visitabatur, & nominatim sæpius à Patre Ferdinando Generali Carmelitarum Discalceatorum, magna sibi amicitia coniuncto, cui salutem suam semel singulariter commendans dixit: *Precor tuam Reuerentiam, vt non ipsa solùm pro me Deum deprecetur, sed etiam iubeat vt omnes sui Patres idem faciant, quò securum habere possim extremum illum mortis transitum*. A Patre item Petro Alagona Societatis IESV visitatus, & magno charitatis affectu complexus est: nec non ab aliis quos referre longum esset: à quibus omnibus solebat cum insigni deuotione animi preces expostulare. Omne autem reli-

Q4

quum

quum tempus quod nancisci vacuum à visi-
 rationibus & remediorum necessitatibus
 poterat, id auditioni alicuius libri spiritualis
 (quem sibi petebat ab infirmorum curatore
 legi) transmittēbat. Speciatim verò è tracta-
 tu alterius vitæ, quem P. Lucas Pinelli edi-
 dit, & è declaratione Symboli sanctæ Fidei,
 quam Illustrissimus Cardinalis Bellarminus
 emisit, pietatis sensum hauriebat singularem.
 Eiusdem porrò mensis die sexta, quæ Domi-
 nica erat, rursus sanctissimo refici Sacramen-
 to ex pietatis instinctu postulauit: semper au-
 tem ieiunus illud percipiebat, etiamsi pro
 viatico perciperet, etiamsi peraridum os ha-
 beret, linguamque ardore siccissimam. No-
 lebat enim vniquam illis refrigerandis in os
 aquam sumere, veritus ne aliqua in guttur
 guttula decideret: quod non iam tum, sed in
 omni quoque vita obseruauit, siue ante Sacri-
 ficium cum Sacerdos esset, siue ante sacram
 Communionē, cum laicus, vti ipsemet retu-
 lit. Denique continuò se magis magisque defi-
 cere sentiens, sollicitè extremam Vnctionem
 expetiit, quæ illi feria sexta, eademque vnde-
 cima dicti mensis, post sumptam similiter Ve-
 nerabilem Eucharistiam, à Patre Generali est
 exhibita. Enimuerò in vltima illa peccato-
 rum Confessione, quam sanctissimorum
 participationi Sacramentorum præmiserat,
 tanta

tanta Dei gratia cumulatus est, tanto ac tam salubri delictorum dolore compunctus, vt quotiescumque alicuius se accusaret, toties pectus suam tam durè pulsaret, vt necesse fuerit Confessario, eius miseratione moto, brachiù ipsius inhibere. In sancti autem Olei receptione, præterquam quòd totum *Confiteor* per se pronuntiauit, semper etiam vsque ad omnium versiculorum & precationum finem ad omnia respondit. Iussis deinde cunctis Patribus ac Fratribus considerare, & flagitata priùs à Patre Generali facultate aliquid in commune paucis proferendi, suauis eos oratione est affatus, maximè omnes exhortans ad instituti obseruationem, & singulatim ad feruidam erga infirmos charitatem, ad mutuam inter se fraternum amorem atque coniunctionem, ad cordis puritatem, ad paupertatem, ad obedientiam, ad humilitatem. Præterea, ne propter quamuis magnas tempestates ac persecutiones, quas dæmon aduersus Religionem suscitasset, animos desponderent. Rerum enim omnium principia esse difficilia, & dæmonē sæua aduersus eam Religionem rabie succendi, quam ipse augendâ, & toto mundo diffundendam speraret: & quâ multi essent ingressuri tam spiritu quàm litteris præstantes viri: deniq; multò maiores eam se mortuo facturam progressus, quàm

Q 5 fecc-

250 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
fecerit viuo. Quare cunctos incitabat, vt in
sua vocatione solidi & constantes essent, ac
strenuè in hac sancta vinea laborarent, neu
quidquam de ipsius morte tristes essent,
quandoquidem diuinæ Maiestati compla-
ceret ceteris electis suis eum connumerare: se
quidem multò plus auxiliij præstare è cælo
posse, quàm hîc in terra superstitem, vbi
nihil aliud quàm peccata & delicta admit-
tantur. Ad extremum verò vberes fun-
dens lacrymas, & oculos ad cælum erigens,
Patres, inquit, & Fratres mei, ego quidem pri-
mùm à Deo misericordiam efflagito, deinde
verò à Patre Generali qui hîc adest, atque et-
iam ab omnibus vobis veniam peto cunctorum
admissorum, quibus malo exemplo hætenus
fui, cum assenerare vobis certò possim, quid-
quid illud fuerit, potius ab inscitia mea, quam
à mala voluntate processisse. Denique quan-
tum quidem mihi à Deo concessum est, tamquam
Patri vestro, in nomine sanctissimæ Trinitatis
& beatissimæ Virginis impertior tam vobis om-
nibus presentibus, quàm absentibus & futuris
mille benedictiones. Ad quæ vltima verba cû-
cti in genua procidentes, in tantas prorupe-
runt cordis gemitus atque fletus, vt facile
verbis exprimi non possit. Tum primò Pa-
ter Generalis, deinde alij omnes ad eum ac-
cesserunt veniam postulatam, & facultatem
disce-

discedendi osculatis eius manibus, quod tamen potius (quemadmodum Magdalena pedibus Christi fecit) ad eas vngendas lauandasque lacrymis, quàm ad osculandas spectabat. Ipse vicissim bonus Pater, Iacobi Patriarchæ instar, suos strictè amplexans, cunctis suam largitus est benedictionē. Deinde cum esset non mediocriter fatigatus, eum rogarunt, vt vellet aliquantisper quiescere, dicentes meritò eum satis esse fatigatum: quibus ille inter alia respondit, numquam se posse in Patrum ac Fratrum obsequio fatigari. Venerant interim nonnulli viri Nobiles, eius visitandi gratiâ: quo illi nuntiato, dolens se per multam defatigationem non posse illis, vt desiderabant, satisfacere, dixit: *Excusate me, quæso, apud viros istos, ego iam Oleo sancto inunctus sum, & cupio me nonnihil intra meipsum recipere.* Subiicienti autem Patri Marcello Mansio, Pater, isti Domini ad anima sue consolationem veniunt: vestra Reuerentia illis aliquid indulgeat, respondit tum Camillus: *Pater Marcelle, mors semel tantum appetitur, & mihi procurandum est vt benè appetatur, quod ego cum Domini mei auxilio me facturum spero.*

CAPVT XVIII.

Camillus accepta summi Pontificis benedictione feliciter ad Dominum migrat.

CAMILLUS susceptis vltimùm sanctissimis Sacramentis, maiorem in modum rogauit, vt aliquis ad summum Pontificem Paullum V. mitteretur, pro sancta eius benedictione & indulgentia plenaria supplicatum. Cui rei operam nauauit D. Lucas Antonius Eustachius, Cubicularius secretus Suae Sanctitatis: qui quòd Patris nostri studiosissimus esset ac longè amantissimus, eà gratiã obtentã, statim ipso vespere eiusdem diei, quo Camillus extremo inunctus Oleo fuerat, ad eam Suae Beatitudinis nomine impertendam accessit. Cui Camillus tantum se recepisse beneficium præ se tulit, atque dixit, vt maius in vita non posset: infinitasque diuinæ Maiestati gratias egit, quòd se ad Romæ moriendum direxisset, vt tanti boni frueretur solatio, & tanto ditatus esset thesauro. Tum subiunxit: *Dominus Deus noster multos vltra annos Suae Sanctitati concedat, semperq; illam in gratia crescentem, saluam atque incolumem conseruet.* Sabbato insequenti, siue duodecima Iulij, more solito à multis Religiosis vilitatus

tatus fuit, ac nominatim à P. Augustino Caracciolo Clericorum Minorum, à P. Francisco Zazzera Ecclesiæ nouæ, & à P. Fratres Santi Guardiano Capuccinorum. Cum hoc P. Santi collocutus est Camillus, præcipue de amore Dei, dixitque inter alia, stupere se, qui fiat, ut creatura non perfecte amet suum Creatorem. P. Zazzera verò ei valedicens, *Pater mi*, inquit, *cùm tua Reuerentia in celum venerit, salutet, amabò, nominatim nostrum B. Patrem Philippum, qui tibi, opinor, occurret, quandoquidem eius fueris in hac vita filius spiritualis.* Pater Caracciolus item cum ei valediceret, flexis coram illo genibus, benedictionem contentissimo studio exorauit, dicens magno cum affectu, se dies noctesque, si sibi permitteretur, apud eum futurum, tam ad illi inseruiendum, quam ad sancta eius conuersatione perfruendum. Sed nimis longus essem, si omnia persequi vellem, quæ ultimis illis diebus aut dixit aut fecit. Hoc solum dicam, quòd ita affecto extenuatoque corpore cum esset, ut eius connumerari possent ossa, & quodam velut miraculo viua lingua restare videretur, auditus sit à nostris sæpiusculè dulcia cum Domino Deo miscere colloquia, & dicere: *Ah Domine mi, quantum ego tibi debeo! & quàm multis nominibus tibi sum obligatus!* Aliàs brachia in Crucis formam

254 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
mam componens, aut sursum ad caelos le-
uans dicebat: *Gratias tibi ago, Domine mi,*
gratias tibi ago. Ego vilis sum peccator, & om-
ni bono indignus. Cùm sis Dominus misericor-
diarum, ego in hoc intendo, vt tuâ solummodo
misericiordiâ saluus fiam. Aliàs sese ipsum Deo
offerens dicebat: Veniam, Domine, veniam,
non cùm mihi placuerit, sed quando tibi. Aliàs
omnia de manu Domini venire recogno-
scens aiebat: Domine, id totum quod fuimus,
quod sumus, quod erimus, id, inquam, totum à
tua gratia emanauit. Reuocans dehinc cogi-
tationes ad præterlapsam iuuentutem suam,
sese humilians clamabat: Domine mi, penitet
me, quòd tuam Maiestatem offenderim: vi-
nam non fecissem! sed in te, Domine mi, spes
mea. Postremò cùm esset ad eum allata pi-
ctura Crucifixi, in qua erat illa eius plena my-
sterijs inuentio Sanguinis Iesu Christi supe-
rius indicata, ipse eam contemplans, aduer-
tensque pictorem, rogatu impulsuque Con-
fessarij sui, etiam appinxisse ipsum Camillum
flexis genibus inter Dominam nostram &
Crucem, velut expectabundum vt aliquam
pretiosi Sanguinis guttulam in se instillaret,
atque ex eius ore prodeuntes has voces: Parce
famulo tuo quem pretioso Sanguine redemisti,
ipse, inquam, hæc aduertens dixit: Nosti, Do-
mine, hanc non fuisse inuentionem meam (quòd
scilicet

scilicet depictus fuerit cum his in ore vocibus) *sed cum Deus ita voluerit, id erit signum, tanto mihi amplius sperandum esse in sua erga me misericordia.* Deinde ad Virginem se conuertens dixit: *Age, Mater sanctissima, impetra mihi à Filio tuo gratiam, vt libenter quidlibet mali patiar, & si hoc non sufficit, addat & alia.* Postmodum eadem picturâ eo loco affigi iussâ, vnde eam semper videre posset, stabat continuo defixis in eam oculis meditabundus. Dedit etiam in mādatis Fratri cui commissa erat eius cura, vt in mortis articulo admoneret Patrem qui commendationes animæ lecturus esset, vti semper illi in memoriam reuocaret, debere ipsum spem firmam suæ salutis in meritis & Sanguine Iesu Christi collocare: nec in illo solum articulo, sed etiam vno quadrante horæ post mortem, illi semper eiusdem pretiosi Sanguinis memoriam inculcasset. De cetero ab omni aliena cogitatione, atque à præsentis vitæ gustu totus abhorrebat, ac tum præsertim, cum restauratiuum aliquod sumendum esset; quo tempore plurimum angebatur cruciabaturque animo. Iam trigessimus mensis agebatur, ex quo illum omnis cibi graue fastidium detinebat: semper tamen, tam vt Medico obediret, quàm vt valetudinis curatori morem gereret, sumebat quidquid porrigebatur,

batur, & omnia pro Dei amore libenter sufferebat. Alligata habebat vtrique brachio diuersa sacra numismata Pontificis benedictionibus ditata, quæ sæpenumerò ad promerendam in mortis articulo plenam indulgentiam exosculabatur. Visitauit illum vespere eiusdem Sabbati Illustrissimus Dominus Franciscus à Castro, Regis Catholici apud Pontificem Legatus, qui humilitate & modestiâ Principe dignâ non modò seipsum precationibus serui Dei commendauit, sed etiam liberos omnes & Comitem vxorem suam, & socrum, ac totam suam familiam: dato deinde signo circumstantibus, vt non nihil abstarent, aliquantisper in secreto collocutus est: fuitque tunc opinio, quòd & Philippum Tertium Regem suum ac Dominum, vnâ cū omnibus filiis, & Ordinibus, & regnis ipsius coronę subiectis, ardentè commendaret. Post hæc sine imposito eius diei visitationibus, quæ sanè fuerunt non pauca, præferim Sacerdotum ac Religiosorum, dixit ei P. Marcellus Mansius: *Heri nolebat tua Reuerentia visitationes, & hodie tot ipsi misit Dominus, vt hesternis supplere. At qui,* ait Camillus, *hi sunt Religiosi, quos Deus in meum auxilium misit, vt ego me ipsorum orationibus commendarem.* Et post quædam alia, indolens de illa sui apud mundum celti-

matione,

matione subiunxit: *Res magna! veniunt cun-*
cti meis se orationibus commendatum, tam-
quam si ego aliquid essem, nec intelligunt me
vilem esse peccatorem: & Patri dicenti, Sal-
tem exaudiet Deus illorum fidem, respondit:
Faxit Deus vt bona voluntate sua non defrau-
dentur. Exor tã autem Dominicã, hoc est,
 decimã tertã Iulij manẽ in corona Patrum
 ac Fratrum protestationes ex more Christia-
 no faciens, inter alia protestatus est, velle se
 viuere ac mori verum & fidelem & Catho-
 licum Christianum, seque firmiter tenere ac
 credere, quidquid tenet ac credit sancta ma-
 ter Ecclesia Catholica, & Apostolica, Ro-
 mana. Ad quã etiam suos omnes Religio-
 sos exhortabatur, & speciatim ad obedi-
 tiam Pontifici Romano præstandam. Vole-
 bat autem semper penes se habere chartam
 dictarum protestationũ, immò & post mor-
 tem supra se alligatam & secum sepultam,
 atque in huius vltimæ voluntatis suæ confir-
 mationem osculatus est deuotissime sanctis-
 simum Crucifixum. Vesperis visitatus fuit à
 Domino Francisco, nepote Cardinalis Gin-
 nalsij Protectoris, & à Domino Æmilio Spe-
 relli eius Secretario, quos idem Cardinalis
 ad explorandum, quo loco res essent, mise-
 rat. Quibus respondit Camillus: *Illustris-*
simus Cardinalis mihi plus officij exhibet,
 R quàm

quàm ego merear, & quàm reponendis in hac vita (qua iam mox expirabit) obsequiis obstringi possim: sed si Dominus Deus id mihi præstiterit, ut illuc vadam ubi facie ad faciem illum videam; tum ego minime mihi deero, quin preces pro Illustrissimo Domino ad Deum fundam. Nocte insequenti totus in eo fuit, ut semper Deo coniunctus perseveraret, iam sancta Passionis sacræ mysteria meditando, iam Crucifixi sui pictam tabulam partim mente, partim oculis contemplando: quam cum sibi in manus porrigi mandasset, expressas in ea sanctas imagines singulatim exosculans, hisce verbis prædulcibus ad eas usus est: Ad Crucifixum quidem: *Domine, ego tibi hanc animam commendo, quam pretioso Sanguine tuo redemisti.* Ad Dominam verò: *Ah Mater pietatis, per eam te constantiam rogo, quam sub Cruce stans præstitisti, dum sanctissimum tuum Filium & Crucifixum intuereris & mortuum, impetra mihi hanc gratiam, ut salva fiat anima mea.* Tum ardore quàm maximo ipsam amplectens tabulam, sanctissimum Crucifixum osculatus est, deinde Matris pedes, deinde & sanctum Michaëlem Archangelum, deinde & omnes Angelos. Postea subleuatis ad æternum Patrem oculis dixit: *Pater æterne, ecce hic sanctissimus Filius tuus, te per suum pretio-*

sum

Sani Sanguinem obtestatur, ut mihi ignoscas,
& hanc peccatricem animam salues. In eadem
 ipsa nocte dixit Patri Ioanni Califano apud
 se excubanti: *Nescio, an isti Patres adhuc co-*
gitarint de rebus ad exequias meas necessariis,
& de Officio mortuorum: & Patre responden-
 te iam ea de re actum esse, subiecit: *Videte ne*
alio tempore quàm crastino. Sicque euenit:
 nam sequenti vespera, ut dicitur, expirauit.
 Igitur feria secunda manè (fuit hic vltimus
 vitæ eius dies) eum denuò accessit visitatum
 Cardinalis Ginnasius Protector, à quo non
 parum accepit solatij; quòd tunc illi Religio-
 nem suam singulariter commendarit. Audi-
 to post hæc horologij sono, quæsiuit quora
 esset ea hora: & responso dato esse duodeci-
 mam, subiunxit: *Igitur tam serò est, neque*
dum de dicenda Missa agitur? Atqui nullius al-
terius Missæ mea iam interest: hæc enim postre-
ma est quam audiam. Quæ cum ad aram
 Valetudinarij celebraretur (ut quotidie ma-
 nè mos erat) progresso Sacerdote vsque ad
 primum *memento*, tum Camillus maiori
 quodam salutis suæ timore ac tremore cor-
 reptus quàm aliàs vñquam, clamauit quàm
 potuit voce sublatissima: *Preces, preces, iam*
statim: ut Dominus me saluet. sicque omnes,
 quotquot aderant, attonitos reddidit. Ad
 Hostiæ verò elevationē, sublata item quan-

tum potuit voce, & percusso fortiter pectore, adiecit: *Domine, per tuum pretiosum Sanguinem, esto mihi misericors.* Dum autem diceretur *Credo*, ipse ad singulos articulos capite annuit, maximè ab illis verbis, *Passus sub Pontio Pilato, usque ad illa, Inde venturus est,* meditando in iis amarissimam Iesu Christi Passionem. Rogavit etiam, ut Confessarius à suo lecto nusquam abscederet, ut si forte aliquorum peccatorum subiret memoria, posset è vestigio confiteri. Reliquum portò eius diei in dulcissimis sermonibus consumpsit; & à cunctis, qui eum visitabant, semper postulavit, ut pro ipso Deum deprecarentur, & nominatim à Francisco Bottello eius perquam studioso. *Orate*, inquebat, *pro me hac vespera.* Cùm verò Dominus Thomas Condopolus, Medicus noster eum visitans interrogasset, quo modo haberet, respondit: *Ego expecto, ut breuè euocer à Domino.* Haud diu post ingresso similiter Domino Ambrosio Galiano eius peramico, quàm subito illum conspexit, *Oh Domine Galiane*, inquit, *alius Medicus hinc expectatur.* Cùm intrasset P. Octavius à Pace Valetudinarium, vidit Camillum, nulla emissa voce, sed defixis tantùm in Crucifixi picturam luminibus, signa oculis & toto vultu edentem, quasi cum eodem Crucifixo loqueretur: sed ut

aduer-

aduertit Camillus se videri, cessauit derepentè, vultumque serenauit. Ad pulsum *Aue Maria* in meridie, beatam Virginem distinctè salutauit: tametsi eius lingua adeò esset exsucca & sicca, vt mouere eam vix posset. Deinde, audito altera vice horologio, petijt similiter, quota esset hora, & responso accepto esse vnde uigesimam, *Quàm longus*, inquit, *hic est dies!* nempe maximo desiderio ad vesperam anhelabat: in qua scilicet carnis laqueis exueretur, atque in cælum, quiete cum Christo fruiturus, abscederet. Cupiebat sibi semper multos circumlectum adesse Sacerdotes qui Psalmos legerent, ac pro se Deum orarent: respondebatque ipse semper, non modò Litaniis omnibus, sed etiam cunctis precationibus commendationum animæ. Quin & Confessario eas commendationes tum legenti, & interdum aqua benedicta lectum aspergenti, cum is semel eius faciem vix leuiter attingisset, dixit ipse, *Plus aquæ, plus aquæ benedictæ.* Vnde Pater ipso aspergillo Crucem illi in fronte efformauit: quo contentus, *Sic*, inquit, *benè habet.* Denique res fuit admiratione ac stupore digna, videre quàm in iis omnibus esset attentus, quæ ad eius salutem faciebant. Ita sæpissimè osculabatur nunc benedicta numismata, quæ brachiis erant alligata, nunc

R 3 ipsum

262 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ipsum sanctissimum Crucifixum. Et cum in-
tus cor illi sic arderet, ac Domino suo tam
coniunctus esset, semel tamen lamentatus est
se, quantum ad deuotionem attineret, frigi-
dum esse & planè glaciatum. Intereà ad ex-
tremum vsque ita integris sensibus perseue-
rauit (quemadmodum à Deo semper popo-
scerat) vt illa ipsa vespera, dato signo ad *Aue*
Maria, optimè illud pronuntiarit. Iam vnus
quadrans supra horam noctis transferat, cum
roganti Fratri Ludouico Bentio eius curam
gerenti, num aliquâ guttulâ aut stillâ non-
nihil refici placeret; respondit, *Expectate*
vnus alterum horæ quadrantem, ac tum ego
me reficiam. Atque ita prorsus fuit. Nec enim
plus quàm vnus quadrans effluxerat, cum
semper in ore & corde sanctissimum nomen
& Sanguinem Iesu Christi habens, & san-
ctissimam Trinitatem laudans, & S. Michaë-
lem Archangelum inuocans, ad ista verba,
Mitis atque festinus Christi Iesu tibi aspectum
appareat, vltima edens suspiria, vultu alaci,
& oculis in cælum versis, absque vllò hor-
rore aut vultus commutatione (qui spe-
ciem resplendentis potiùs quàm demortui
referebat) se in cælo refecturus è terris
excessit. Aderant omnes nostri, & felicem
ei transitum cum fletu & gemitu precaban-
tur. Excessit autem decimâ quartâ Iulij,
anno

anno M. DC. XIII. feriâ secundâ vesperi,
 sequi horâ noctis, die sancti Bonaventuræ,
 annum ingressus ætatis sexagesimum quin-
 tum, mensē vno & diebus viginti, annis qua-
 draginta à sua ad Deum conuersione, & vi-
 ginti tribus à Religionis fundatione.

CAPVT XIX.

*Concursus ad visendum Camilli serui Dei
 corpus. Eiusdem sepultura.*

Egressâ ad meliorem vitam Camilli Pa-
 tris nostri animâ, & filijs extinctum cha-
 ri Patris sui depositum respectantibus, quæ
 lingua satis expromere valeat, qui stilus di-
 gne exprimere, quàm densa doloris nubes
 omnium corda occuparit? quæ deinde li-
 quefacta & in amarissimos fletus resoluta,
 tam copiosè ab omnium oculis exundauit,
 vt verè appareret, illo extincto, ipsorum quo-
 que lucem vnâ extinctam esse, & Ducem
 amissum, & vno verbo, dilapsa & prostrata
 Religionis huius fortissima mœnia. Qui-
 dam sanè, audito eius obitu, tantam dolen-
 tes iacturam, inquietabant: *Mortuus est Pater
 pauperum. Iam vberem lugendi ac mœrendi
 causam de tanto damno habebunt pauperes.* Pa-
 ter Franciscus Dominicus Carmelitarum

R 4

Dis-

Discalceatorum Religiosus, magnus Dei ser-
 uus & amicus, dixit vni è Patribus nostris:
Obijt magnus celi athleta, de quo dicere li-
 ceat ista sancti Paulli, *Idoneum fecit illum*
Dominus ministrum noui Testamenti. Alij
 denique innumera de tanti viri laudibus præ-
 dicabant. Sed vt ad corpus reuertamur, sta-
 tim atque postridie manè delatum fuit vna
 cum Planeta & vestimentis sacris ad cele-
 brandum Officium, & Sacrificium offeren-
 dum, iuxta Religionis ritum, visa est velut
 cælesti quadam tuba spargi tota vrbe Roma
 atque diuulgari mortis eius fama. Vnde tan-
 ta hominum multitudo cuiuslibet conditio-
 nis atque dignitatis ad eum videndum cœ-
 pit concurrere, vt admirationem ac stupo-
 rem toti Romæ concitaret, præsertim cun-
 ctis omni conatu ad eius exosculandas ma-
 nus, pedes, faciem irrupentibus, aut ad
 corpus coronis prelatoris contingendum
 annitentibus. Qui autem aliud in promptu
 ad eiusmodi contactum non habebant, ex-
 tractum è digitis suis anulum in illius di-
 gitos inferebant. Nonnulli etiam inter ma-
 nuum oscula dicebant: *O benedictas manus*
sancta charitate incoctas! Quin & cæci ip-
 si pro foribus templi, ad stipem emendican-
 dam confidentes, precationem quamdam à
 se extemporaliter compositam, in laudem
 huius

huius serui Dei recitabant, eum singulariter ab hac sanctæ charitatis virtute prædicantes. Præterea, cum ab aliquibus Patribus myrti virides, aliæque herbæ frondēsve odoriferæ (vt Romana fert consuetudo) corpori superiniectæ essent, tanta sunt à populo auiditate, immò & habendi anxietate subito direptæ, vt opus fuerit compluries non paruam earum copiam regerere. Quæ ad hoc saltem commodæ erant, vt ne vestes eius disscinderentur, atque per frustra auferrentur. Neque tamen quantalibet cura & sollicitudine caueri potuit, quin etiam capilli ipsi ab eius capite, vi multæ deuotionis, auulsi fuerint. Inter alios qui huc concurrerunt, & horrendis suis stridoribus cælum compleuerunt, multi fuerunt à spiritibus obsessi tam viri quàm femina, de hoc viro Dei mira & varia clamitantes: quorum aliqui accedere ad feretrum abhorrebant: alij oculos, ne illud viderent, occludebant, stridentes cuncti & vociferantes, illius aspectu exuri se atque torqueri. Vnus verò speciatim dum ad appropinquandum feretro incitaretur, dicebat, malle se in carcerem contrudi, quàm capulo propius admoueri: alius autem, *Quid me vultis, inquebat, isti vetulo appropinquare, qui confestim atque est mortuus, in paradisum ingressus est?* Denique Patribus minimè opinan-

R 5 tibus

tibus tantam ad eum confluxuram multitudinem, ne aliqua deinceps maior turbatio ac tumultus sequeretur (nam omnes pæne templi cancellos atque ipsius quoque feretri pedem turbæ confregerant) expedire ipsis visum est, ut quamprimum e populi oculis submoueretur, ac sepulturæ traderetur. Quod statim ut intellectum est, etiam vehementiore impetu ad eum videndum cœperunt irrumperere: ita ut Patres necesse habuerint multos ad arcendam turbam satellites conuocare. Delatum postremò est in sacrum templi vestiariū, & intra tres capsas; ligneas duas, vnam plumbeam inclusum: deinde noctu in eodem sanctæ Magdalenæ templo iuxta aram principem, ad cornu Euangelij est tumulatum. Noluerunt verò Patres, pro sua modestia, & vitandi strepitus populi gratiâ, inscriptionem vllam figere, sed crucem tantummodò lateritiam tumulo imposuere. Huc porò magnus fit mortalium concursus, Deo non pauca inibi miracula exhibente, & multas serui sui meritis gratias indulgente: uti videre est ex donis votiuis, & aliis pietatis ac deuotionis indiciis, quæ diebus vndecim ab eius obitu, super eius sepulchrum à fidelibus, qui dictas gratias receperunt, apportari cœpta sunt. Verùm quòd tam eorum

rum quæ diximus, quàm aliorum multo-
rum quæ superstes præclare gessit, con-
gruam cognitionem à sanctissimo Patre &
Domino nostro (ubi sancto Spiritui visum
fuerit hanc ei mentem iniicere) acceptum
iri speramus, nihil plus in præsentì tractare
audeo: sed finam, vt ista lucerna iam à Do-
mino super candelabrum posita, non modò
sibi ipsi luceat, sed etiam lumen & gratiam
cunctis animabus impetret ad salutem, per
merita Domini nostri Iesu Christi, obtinen-
dam, Amen.



VITÆ